



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs III. De vnitate, ac multiplicitate habituum præsertim
intellectualium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

TRACTATUS III.

De unitate ac multiplicitate habituum, præsertim intellectualium.

CAPUT I.

An habitus cuiusvis facultatis sit una simplex qualitas, vel potius multiplex.

MULTIPLICEM esse tuentur Ochamus quæstion. 3. prologi distinct. 8. Gregorius eademque artic. 3. Marfil. quæst. 2. artic. 4. Gabriel. quæst. 8. Maior, & alij passim Nominales. Item Scotus 6. Metaph. quæstion. 1. eiusque communiter assensu. Insuper Durandus, Aureol., Iandunus, alique antiquiores. Ex nostris Suarez disp. 44. Metaph. sect. 11. Fons. 5. Metaph. cap. 7. quæst. 5. sect. 2. Tolerius in log. quæst. 3. proem. Molina 1. part. quæst. 1. art. 3. disp. 3. Hurtad. disp. 16. de Anima sect. 4. §. 3.3. Arriaga disp. 1. log. section. 3. num. 30. Tellez disput. 18. log. section. 4. Bartholomæus Amicus in lib. poster. tract. 17. disp. 4. dab. 2. art. 3. Collegium Conimb. tom. 2. log. lib. 1. Post. cap. 23. quæst. unica art. 2. Vallius in log. etiam tom. 2. disp. 4. part. 3. quæst. unica cap. 4. quibus ipse subscribo. Primum autem argumentum, quo moueor est huiusmodi. Eo ipso quod Dialecticæ habitus) par autem est ratio cuiusvis alterius facultatis) respiciant diuersa obiecta formalia diuersi esse debent: at habitus Dialecticæ diuersa intuentur obiecta formalia: sunt ergo diuersi Maior probatur: tum quia habitus virtutum diuersi sunt, quia respiciunt diuersa moriua, & obiecta formalia, vt exemplo constat Iustitiæ, Misericordiæ, & reliquarum virtutum: igitur si habitus Dialecticæ respiciunt diuersa obiecta formalia, diuersi erunt: qua ratione, cum Aristotele 2. Phys. text. 98. & 7. Ethicor. cap. 8. B. Thomas & reliqui Philosophi, ac Theologi docent, ita se habere principia in speculationibus, sicut se habent fines in moralibus: tum etiam quia ideo habitus diuersarum scientiarum Mathematicæ verbi gratia, & Metaphysicæ sunt diuersi, quia diuersa obiecta formalia sibi vendicant. Minor probatur: quoniam habitus Dialecticæ medijs suis actibus in demonstrationem, definitionem, diuisionem, &c. formaliter, & immediate feruntur, vt cum ex natura definitionis, & diuisionis demonstrationem recte esse definitam, & diuisam concludit, aut rursus ex natura demonstrationis de definitione, & diuisione recte aliquid conclusum probat, aut demum alio quouis modo ex diuersis principijs diuersa concludit: at definitionem, diuisionem, enuntiationem &c. specie differre quis sui compos. infecerit.

Opponunt ingeniosi recentiores contra doctrinam huius argumenti. Idem amicitia habitus inclinat ad volendum bonum amici, quia eius bonum est atque ad nolendum eius malum, quia eius malum est: Sed bonum amici, vt bonum est, & eius malum, vt malum est, diuersa obiecta formalia sunt, ob quam diuersitatem alterum dicitur specificare habitum amicitia, alterum vero habitum inimicitia: idem igitur habitus respicit diuersa obiecta formalia, ac proinde diuersitas obiectorum formalium dialecticæ habitualis, aut alterius facultatis eam in plures habitus non dissecat. Rursus: idem liberalitatis habitus inclinat

ad volendam mediocrem elargitionem, & ad nolendam, seu prodigam effusionem, seu auarum retentionem, quarum illa liberalitatis, hæ vero auaritia, & prodigalitatis specificatiua sunt: vnde liberalitas diuersa obiecta formalia, ac diuersorum habituum specificatiua respicit.

Verum hæc obiectio vim argumenti nostri non labefactat: nam nolle malum amici, quia malum eius est, formalissime est nolle eius malum, quia opponitur alicui eius bono, seu positivo, seu negativo, saltem ei quod in illius mali carentia consistit: at nolle malum amici, quia oppositum alicui eius bono, bonum eius habet pro obiecto formalis, sicut contritio, qua quis detestatur peccatum lethale, quia opponitur diuinæ bonitati, non malitiam peccati, sed diuinam habet bonitatem instar obiecti formalis: proinde habitus amicitia non diuersa obiecta formalia, sed vnum, videlicet amici bonum intuetur. Eadem ratione liberalitas habitualis vnum duntaxat obiectum formale, scilicet mediocritatem in erogando respicit, quia licet prodigam effusionem, & auarum retentionem per modum fugæ respiciat, eas tamen non respicit, nisi quatenus mediocritatem in erogando excedunt, aut ab ea deficiunt, eique per excessum, vel defectum opponuntur.

Deinde opponunt Thomistæ cum Caiet. 1. 2. q. 54. art. 4. habitus omnes dialecticæ, & eius actus eiusdem esse speciei: quia licet eius obiecta sint diuersæ speciei, omnia tamen conueniunt in eadem ratione scibilis: qua ratione habitus fidei diuinæ est indiuisibilis, & omnes eius actus eiusdem speciei, quoniam mysteria, quæ creduntur, ita sunt specificè diuersa, vt in eadem ratione reuelabilis omnia conueniant. Contra tamen sic argumentor: aut de scibilitate obiectis intrinseca, & essentiali, quæ sita est in non repugnantia obiecti, vt sciatur, aut extrinseca, & accidentaria, quæ ab actibus formaliter proficiscitur, sermonem habent aduersarij? Si primum, obiecta formalia dialecticæ, sicut non conueniunt in eadem ratione obiecti formalis, ita nec in eadem ratione scibilis: si secundum: certe principium repetunt, quandoquidem asserere habitus, & actus dialecticos non distingui specie, quia in ratione scibilis conueniunt, est asserere eos non distingui, quia non distingui, quia non distinguuntur, sed potius conueniunt.

Confirmatur. Obiecta formalia dialecticæ distinguuntur, ac differunt, haud secus, ac obiecta formalia diuersarum virtutum, aut diuersarum scientiarum, vt obiectio supponit, quæ non ad unitatem obiecti formalis dialecticæ verbi gratia sed ad diuersorum obiectorum formalium eandem scibilitatem recurrit. At obiecta virtutum non conueniunt in eadem specifica, & atoma ratione volibilis, sed solum in quadam generali, & communi, quæ ad unitatem, & indiuisibilitatem virtutis non sufficit; & obiecta scientiarum non consentiunt in eadem specifica, & atoma ratione cognoscibilis, siue scibilis, sed tantum in generali, & latissima quadam, quæ certe ad unitatem habitus scientifici est insufficiens. Ergo similiter obiecta formalia Dialecticæ non conueniunt in specifica, & atoma ratione scibilis, sed in quadam vniuersali, ac latè fusa, quæ ad habitualis dialecticæ indiuisiōnem haud sit satis. Ad exemplum fidei inferius constabit inter soluendum argumenta contrarium.

Opponunt secundo iidem Thomistæ, obiecta formalia Dialecticæ, eiusque principia, diuersa quidem esse, at inter se connexa, & ordinata, & alia ex alijs deduci, quod sufficit, vt ad eundem indiuiduum habitum

bitum attingant. Contra tamen sic arguo. Actus intellectus, & actus voluntatis inter se connectuntur, & hi illos præsupponunt: aut non solum diuersos habitus sibi vendicant, verum etiam si Thomistis fides, diuersas potentias: quamuis igitur actus, & obiecta dialecticæ connexionem, & subordinationem quandam inter se seruent, ad eundem tamen habitum non spectabunt. Rursus: principia plurium scientiarum ita inter se connexa, & subordinata sunt, ut alia ex aliis deducantur, quemadmodum cernere est in Mathematica, quæ Geodesiæ, Mechanicæ, & opticæ principia ex suis principiis deducit: & in Metaphysica, ex cuius principiis, v.g. *impossibile est idem simul esse, & non esse, & quodlibet est, vel non est* principia illa Dialecticæ, contradictoria propositiones non possunt esse simul veræ, aut falsæ, & contradictoriarum altera est vera, vel falsa, inferuntur: & in scientiis naturalibus, ex quarum principiis principia theologica probantur. At principia diuersarum scientiarum, quas hactenus recensuimus, ea connexionem, & subordinationem non obstante ad diuersos spectant habitus. Demum: connexio principiorum, siue obiectorum formalium, non unitatem, sed connexionem quandam habituum Dialecticæ, aut cuiusvis alterius facultatis probat, sicut quod finis vnius virtutis conducatur ad finem alterius, non indiuisiōnem, ac unitatem, sed connexionem virtutum efficit.

7 Opponent etiam secundo Recentiores nostri. Actus tendentes in obiecta genere diuersa non debent genere differre: quanquam igitur habitus & actus Dialecticæ v.g. tendant in obiecta specie diuersa, non debent propterea ipsi specie differre. Antecedens probant: quia duo indiuidui actus in obiecta genere diuersa tendentes non habent sub se plures species: ergo genere non differunt, cum sine speciebus subiectis omne genus repugnet.

8 Caterum actus ipsique speciebus sibi subiectis in obiecta genere diuersa tendentes genere differunt: tum, quia ipsa obiecta sine speciebus sibi subiectis genere differunt, ut si per vnum actum Gabriel Angelus, & per alium homo cognoscatur: tum etiam, quia, ut aliquid ab alio genericè differat, non est necesse, ut alterutrum sit genus, sed satis, superque est, ut vnum sub vno genere, & aliud sub alio genere cohibeatur; quemadmodum ut Petrus v. g. à Bucephalo specie differat, non est necesse, nec possibile, ut alteruter sit species, sed sufficiens est, ut sub diuersis speciebus, homine videlicet, & equo contineantur.

9 Secundum pro nostra sententia argumentum esto. Præmissæ, & conclusio haud raro ad diuersos habitus spectant: fieri ergo nequit, quin Dialecticæ v.g. quæ, nec solas præmissas, nec solas conclusiones complectitur, non sit multiplex habitus cōfenda. Antecedens, quod est plerorumque scholasticorum cum Aristotele, nec non etiam B. Th. 1. 2. q. 57. a. 1 ad 2. hunc in modum suadeo. Cognitio, & amor, quem infert, principia vnius scientiæ, & principia alterius ex prioribus illata ad diuersos habitus spectant: quamuis igitur præmissæ conclusionem inferant, & ad eam determinent, diuersum tamen habitum à conclusionis habitu poterunt, fortiri. Deinde ex falsis præmissis vera conclusio, & ex veris conclusio falsa interdum deducitur: sed in eo euentu ad diuersos attingent habitus: ergo & ad diuersos poterunt attingere seorsim ab eo euentu, tum scilicet, cum euenit, præmissas, & conclusionem esse simul veras. Minor proxima suaderetur: quia aliàs idem indiuisibilis habitus posset simul inclinare ad actum verum, actumque falsum, & erro-

neum; quod tam improbabile est, ac modo virtutem & vitium in eundem habitum coalescere.

Dices primo. Idem habitus potest esse erroneus, & verus respectu diuersorum obiectorum, esto non respectu eiusdem: at præmissæ, & conclusio habituales diuersa obiecta respiciunt: quod autem ea sint præcisè materialia non refert: tum, quia differunt in obiecto formali intrinseco, tametsi in obiecto formali extrinseco conueniant: tum etiam, quia ad veritatem, & falsitatem parum interest, quod obiectum sit materiale, aut formale, & solum attendi debet, an sit conforme, vel difforme actui, ad modum, quo ad malitiam actus non inter est, utrum sit obiectum formale, an materiale illud, à quo deprauatur. Confirmatur: quia idem actus potest esse simul verus, & falsus respectu diuersorum obiectorum, hic videlicet, aut alius similis, *Petrus currit, Paulus currit*, ut in Dial. lib. 10. tract. 3. c. 6. ostensum est: idem igitur à fortiori de habitu aliquo vno, & eodem dici poterit. His suppositis, cum possit idem habitus esse simul verus, & erroneus, quæ prædictum est ratione; quidni possit, debeatque aliquando idem inclinare, & facilitare simul ad actum verum, aliumque falsum, & erroneum: talis ergo inclinatio ad utrumque actum in eodem habitu non est absurda: adeoque ab eius absurditate perperam argumentati sumus paulo supra.

Contra tamen pro superiori nostro argumento sic arguuntur. Idem habitus nequit esse, ut dictum est, virtutis, & vitij etiam respectu diuersorum obiectorum videlicet intemperantiæ in ordine ad voluptates superfluas, & iustitiæ in ordine ad ius suum vnicuique tribuendum, ut fatentur omnes: quocirca non est cur in eo probando impræsentiarum immoremur: ergo nec idem habitus poterit esse erroneus, & verus etiam comparatione diuersorum. Quod dicitur de actu simul vero, & falso respectu diuersorum, non vrget: nam præcisè, & disparate in diuersa fertur obiecta: quod si in illa disiunctiue, vel copulatiue, aut cum ordine quodam, & comparatione eorum inter se ferretur, sane simul verus, simulque falsus esse non posset, sed aut omnino verus, aut omnino falsus: aut habitus, qui simul esset conclusionis, & principiorum non sine ordine quodam veritatem, ac falsitatem actuum attingeret, vnamque inferret ex altera: quamobrem, vel omnino verus, vel omnino falsus esset; omnino verus; si, tum præmissæ, tum etiam conclusio veræ essent; omnino falsus, si vni alicui propositioni ex tribus falsum subesset; non aliter, atque ad falsitatem actus disiunctiui, aut copulatiui sufficit falsitas alterius partis, cum tamen ad eorum veritatem vtriusque partis veritas, & conformitas sit necessaria: proinde admitendus non est habitus, qui simul verus, falsusque sit, prout obiectio contendit. Quod si propterea affirmes, habitum illum præmissarum, & conclusionis eundem, & indiuisibilem omnino falsum esse, esto ad actum aliquem verum inclinet, contra tamen insto, quia sicut de facto, ut aiunt, non admittitur habitus præcisè studiosus, qui ad actum aliquem vitiosum, aut præcisè vitiosus, qui ad actum aliquem studiosum inuiteretur: neque habitus omnino falsus admitti debet, qui tamen ad actum verum alliciat: Forte tamen possibile est, sicut etiam in alia rerum serie possibile iudico habitum, qui ex parte sit vitiosus, & ex parte studiosus, & ad actus virtutis, & actus vitij, inter quos nulla sit cognatio sponte sua moueat, eorumque sit illecebra: atque ita expresse sentit doctissimus Patet Bernal. disputatione 43. de Incarnation. section. tertia numero 58. ad eius finem.

Dices

12 Dices secundo. Idem habitus de facto est simul erroneus, & verax: ex eo igitur capite non est, cur præmissarum, & conclusionis habitus idem indiuisibilis non sit. Probatur antecedens: habitus inclinans ad hunc actum, *Petrus currit*, est verax, eo, quod inclinat ad actum verum, vt supponimus: at est simul erroneus, ac falsus, quia, si is actus foret falsus à principio, vt esse potuit, eo, quod veritas actui contingens sit, ad eum inclineret habitus ille, quandoquidem actus esset idem intrinsecè, qui modò, & sola varietas esset extrinseca, & se gerens ex parte obiecti, quod non attingit suapte natura habitus, ac proinde à quo specificari, aut variari non sustinet. At habitus, qui in aliquo euentu possibili inclineret ad actum falsum, est falsus, & erroneus: licet enim de facto non inclinet ad actum falsum, ad eum tamen inclinandi vim habet. Habitus igitur verax simul est erroneus, & fallax. Idem argumentum clarius, ac dilucidius proponitur in sententia, quæ actum de vero in falsum pro diuersis instantibus temporis mutari posse rueretur: nam habitus inclinans ad actum verum in hoc instanti allicit ad actum falsum in sequenti: sicut igitur verax, ita & fallax, ac erroneus dici debet, cum supposita illa opinione, tum in actu primo, tum etiam in actu secundo ad verum, falsumque inuit ex æquo.

13 Verum esto, fieri possit, vt idè habitus sit simul verus, & erroneus, præmissarum, & conclusionis, quod solum præcedens concludit obiectio, tamen de facto vt aiunt, nunquam id contingit, quemadmodum idè habitus simul studiosus & vitiosus modo nunquam admittitur. Quare, si is actus, qui nunc est verus, esset falsus, non ab eodem, sed à diuerso produceret habitu, veluti, si actus studiosus nostræ voluntatis postea videretur ab aliqua circumstantia, non ab habitu virtutis, sed ab alio proficiscetur. Et quidem sicut impeditur concursus virtutis à circumstantia, quam virtus, aut vitium immediate non attingunt, ita non est, cur habitus intellectualis variari nequeat à varietate obiecti, quod immediate non tangit.

14 Tertio argumentor, hunc in modum. Plus differunt Deus, & Angelus, quam Angelus, & homo, cum inter hos sit finita tantum distantia, inter illos verò infinita. Sed homo, & Angelus ad diuersos habitus spectant, alias Physica, quæ agit de homine, & Metaphysica, quæ de Angelo vnus habitus, & à fortiori vna scientia fortent. Deus igitur, & Angelus potiori iure ad diuersos habitus attingunt, ac proinde Metaphysica, quæ de vtroque differit, plures, & diuersos habitus comprehendit. De Philosophia naturali idem probo. Plus differunt substantia inanimis ab animata, & rationalis ab irrationali, quam actus intellectus, & voluntatis, cum hi omnino immateriales, & omnino vitales sint, ex substantiis vero commemoratis, aliæ sint omnino materiales, aliæ aliqua ex parte spirituales, aliæ viuunt, aliæ sint vita prorsus expertes. Ast actus intellectus, & actus voluntatis ad diuersos pertinent habitus, priores ad Dialecticam, posteriores ad Philosophiam moralem: igitur à fortiori prædictæ substantiæ ad diuersos habitus spectabunt, cum tamen omnes ad Physicam attingant. Idem argumentum in Mathematicis fieri potest. Idem in artibus omnino practicis. Idem denique in facultatibus, partim practicis, partimque speculatiuis, cuiusmodi sunt Theologia, verbi gratia, Medicina, ac Dialectica. Siquidem vnus indiuisibilis habitus non est simul practicus, & speculatiuis: tum, quia Caietanus, & plures alij, contra quos disputamus sic sentiunt, & ob id Theologiam solum eminenter practicam, & speculatiuam tuerentur: tum,

quia habitus practicus, & speculatiuis ad diuersos fines ordinantur, hic ad cognitionem, ille ad operationem, vt libr. septimo huius operis tractatu quinto capite secundo explicuimus: quare distinguuntur inter se, non minus, quam virtutes, quæ ad diuersos institutæ sunt fines. At vnica scientia eos complectitur, vt iam dicebamus.

Quartò argumentor. Quia negari nequit, quin sit magna cognatio Dialecticæ, & prudentiæ, hæc actus voluntatis, illa intellectus dirigit: hæc vitia, illa errores fugat: hæc bonitatem, illa veritatem sequitur, allequiturque. De veritate id indubium & ex dictis in Dial. lib. 2. tract. 2. satis innoscitur. De prudentia scire ille

*Spernit turpe lucrum prudens, adesque superbas,
Spernit in auratas, marmoreasque trabes.
Spernit ebur, gemmas, argentum, aulae, tapetes,
Spernit opes, vastæ luxurietque domus.
Spernit odoratas vestes, auroque tritices,
Spernit delicias Cipris, amorque tuas.
Spernit compositæ damnosâ impendia mensæ,
Spernit res, hodie quas rude vulgus amat.
Spernit & inuidiam, scelerate murmura linguae,
Spernit clamosi iurgia vana fori
Omne malum (breuiter) prudens, spernitque fugitque
Virtutemque bonæ gaudia mentis habet.*

En sicut Dialectica intellectum, ita prudentia voluntatem in officio continet: quapropter eam merito Augustin. in lib. 83. quæstionum rerum appetendarum, & fugiendarum cognitionem definit. Ast prudentia habitualis non est vna simplex, & indiuisibilis qualitas comparatione omnium actuum voluntatis, quos respicit: igitur nec Dialectica habitualis respectu omnium actuum intellectus, quos inuictur. Neminem autem opinor esse, qui non admittat eandem esse rationem Dialecticæ, & cuiusvis alterius scientiæ, quod ad rem præsentem attinet. Porro prudentiam haud esse indiuisibilem qualitatem, facile suadetur. Primo namque B. Thomas 2. 2. quæstion. 49. & seq. distinguit in ea partes integrales, subiectiuas, & potentiales: ergo, &c. Rursus: prudentia iuxta Aristotelem, & ceteros omnes & recta ratio agibilium, siue volibilium, sicut ars recta ratio factibilium. At ars in communi non est indiuisibilis habitus comparatione omnium, quæ sub factionem cadunt, diuersi siquidem artifices diuersos specie habitus fortuntur ergo nec prudentia intuitu omnium agibilium. Denique: in speculabilibus non est vnus indiuisibilis habitus respectu omnium scibilium, sed multiplex saltem pro multiplicitate scientiarum: similiter ergo in moralibus non erit vnus indiuisibilis habitus, sed multiplex iuxta multipliciter volibilium, ac proinde prudentia ex pluribus habitibus coalescit.

Quintò sic arguo. Nulla est scientia, quæ non complectatur præter conclusiones directas, alias, easque non paucas indirectas. At quoties ex vnis, iisdemque præmissis colliguntur duæ conclusiones, altera directa, altera indirecta, habitus harum conclusionum sunt diuersi. Ita Pater Suarez disputatione 44. metaphys. section. 11. à numer. 48. & Pater Coninch. disputatione decimasexta, de fide numero 19. & 20. Ac probatur, quia non habent connexionem sicut præmissæ, & conclusio, sed spectant ad diuersos habitus: vt paulo supra demonstratum: ergo & illæ à fortiori. Rursus: speciem diuersam relinquunt vna, & altera conclusio: ergo & habitum, hic si distinguitur à speciebus: antecedens est perspicuum, quia læpe obliuiscimur vnus, & non

non alterius: Denique suaderetur idipsum: quia difficilior est indirecta conclusio, quam directa, et-go, &c.

Argumentor sexto. Haud magis connectuntur invicem conclusiones vnius scientiæ, quam intentio, & electio: sicut enim illæ, ita institutæ sunt, ut aliæ conducant, ac iuvent ad alias, utque omnes conveniant in eodem obiecto attributionis, & extrinseco, ita similiter intentio infert electionem, & hæc idem respicit obiectum formale, quod illa, sin minus intrinsecè, at saltem extrinsecè: Sed intentio, & electio pertinent ad diversos habitus, ut docet præter alios Lessius lib. 1. de Iustitia, & iure cap. 1. num. 28. Et suaderetur primò: quoniam in electione solet esse nova difficultas, quæ haud raro cogit voluntatem ab intentione desistere. Secundo; quia hoc medium eligere præ illo non provenit ab habitu intentionis, quippe quæ ad quodlibet est indifferens: igitur à nouo. Tertio tandem: quia intentionis, & electionis (quod ad præsens attinet) par videtur esse ratio, ac præmissarum, & conclusionis, quod autem harum habitus non sit vnus, sed multiplex, superius est probatum.

CAPUT II.

Alia pro veriori opinione argumenta.

Arguo septimo. Sæpè sapius vsuvenit eis, qui logicam, verbi gratia, discunt ad definiendum faciles esse, ad argumentandum difficiles, ad diuidendum promptos, ad describendum inertes, & in summa aliquorum dogmatum gnaros, & aliorum plurium ignaros. Est enim Dialectica, & quævis alia scientia puteus fundi nescius, quem nunquam exhaurias. Egregie Philo in lib. de somniis mihi, inquit, videtur hic puteus (utique iuramenti, à quo digressum memorat scriptura Patriarcham Iacob) significare scientiam, quæ suapte natura in profundo sita est, non in superficie: nec in propatulo solet esse, sed in abdito: nec facile, sed vix multo labore inuenitur: id, quod videmus, non solum in magnas, obscurasque contemplationes habentibus, verum etiam in vilissimis. Elige quamcunque libet artem, non eximiam inquam, sed omnium obscurissimam, quam nemo liber in urbe educatus sponte exerceat, ruri vero vix seruus coactus à duro, morosoque domino multa facere præter sententiam. Inuenies hanc quoque, multiplicem, variam, querulam, difficilem, aduersam pigritiæ, socordia negligentia, plenam cura, studioque, & laboribus, ac sudoribus. Quin & aquam in hoc puteo fossoribus inuentam negant: quoniam fines scientiarum, non solum difficiles inuentu sunt, verum etiam nunquam inveniuntur. Verum ideo alius alio doctior est in Grammatica, Geometriæ, quia profectus, & incrementa non possunt circumscribi certis terminis. Semper enim plura, quam discuntur supersunt, ut etiam is, qui se putat attigisse finem scientiæ, semper perfectus habeatur sub alio indice. Quod si subeundum sit ipsius veritatis indicium, adhuc circa principia habere videbitur. Brevis enim vita, ut quidam inquit, ars longa, cuius amplitudinem is optime cognoscit, qui in eam descendit profundius, tanquam puteum fodiens: Qualis quidam iam canis, decrepitu, capularis senex illacrymassè fertur, non ob ignauiam, metumve mortis, sed scientiæ desiderio, quasi tum primum eam adiret, quando reliquerat. Viget enim semper ad scientias anima, cum

vires corporis longa ætate marcescant, & langueant. Ergo prius, quam ad quandam ætatis pubertatem exquisitoris doctrinæ perueniatur, periculosus lapsus est. Est autem id commune omnium studiosorum, quibus aliæ post alias contemplationes suboriuntur, multas ex se pariente anima, modo non sit sterilis, multas natura vltro ingerente non obtusis mentibus. Hic est igitur ille scientiæ puteus fundo, sineque carens.

Eadem faciunt quæ in lib. de plantat. Noë, de Isaac puteo idem expendit: qui rerum, inquit, naturas scrutantur, & singulas in dispositionem vocant magna cum diligentia, similes sunt puteos fodientibus. Nam, & illi fontes latentes inquirunt, utrique commune est desiderium potius inueniendi, sed alteris, quo corpus, alteris, quo recreatur anima. Quemadmodum igitur quidam fossoribus puteorum quasitam aquam sæpe non inveniunt, ita qui ulterius progrediuntur in scientiis, & duntius in eis inambulabant non possunt finem attingere. Certe admodum doctos, autem, accusare suam magnam ignorantiam. Hoc enim tantum sentiunt quam longe absint à veritate. Ex his vnus olim neque ad miraculum sapiens dicere solebat, homines merito ipsum mirari, qui hoc tantum sciret, scire se nihil. Elige, si libet quamcunque artem maiorem, minoremve, & aliquem in ea laudatissimum: Deinde examina, an præceptis artis respondeant artificis opera. Videbis hæc ab illis non exiguo, sed magno intervallo abesse: quandoquidem ferme impossibile est in quocunque absolutum esse, quod hæc fontis in morem undabunda varias contemplationum species ebulliant. Ideo iuramentum nominetur aptissime, quod est fidei signum firmissimum coniunctum cum Dei testimonio. Nam cum iurantes in re dubia testem Deum inuocant, nihil licet iurare certius, quam quod nullius scientiæ finis inueniatur apud vllum artificem. Hæc ille: Hæc ipsamet experientia. Sed fieri nequit, ut habitus dialecticæ, ac variæ eius facilitates mutuo sint separabiles, quin hoc ipso distinguantur: talis ergo distinctio, & multiplicitas admitenda.

Octauum argumentum (quod, & superioris confirmatio, & declaratio) sic habet. Dialectica definitiua faciliat, ut sic dixerim, in actu primo ad definiendum, & ad cognoscendum, quid sit definitio, non vero ad demonstrandum, cognoscendumve, quid sit demonstratio. At eadem notitia habitualis nequit facilitare in actu primo ad vnum actum, & non ad alium, respectu cuius est habitus: Dialectica igitur definitiua non est demonstratiua, sed habitus ab ea diuersus: quæ autem dialecticæ, eadem est cuiusvis alterius facultatis ratio, quod ad unitatem, & multiplicitatem attinet, ut sæpe monitum. Minor probatur: tum, quia in causam in actu primo plurimum effectuum cadere nequit, posse producere vnum & non posse alium: tum etiam, quia, si habitus aliquis facilitat in actu primo ad vnum, & ita non facilitat ad alium actum, haud certe est habitus intuitu vtriusque; cum habitus à facilitate in actu primo concipi nequeat distinctus. Pro probatione maioris, in qua duntaxat est difficultas, demus eum, qui nactus est habitum definitionis, & nondum ad logicam demonstratiuam peruenit, nec in ea se exercuit, posse tamen simpliciter demonstrare, & cognoscere, quid sit demonstratio: quæ certe in hypotheci nulla est repugnantia: siquidem potentia præsupponitur habitui; & sicut antequam in definitione se exercuit, simpliciter tamen potuit definire in actu signato, & exercito, ut primis Dialecticæ inuentoribus exploratum est contigisse, non est, cur post

post exercitium definiendi prius, quam ad partem demonstratiuam quis accedat, tamen demonstrare, & quid sit demonstratio scire simpliciter nequeat. Quibus constitutis ita maiorem illam probabo.

21

Si dialectica definitiua in eo euentu faciliaret actu primo ad demonstrationem cognoscendam, aut efficiendam, faciliaret etiam ad illam actu secundo: sed non faciliaret ad illam actu secundo, vt experientia manifestissima constat: ergo nec actu primo. Rursus hæc secunda maior probatur: quoties potentia habet omnia requisita, vt actu secundo concurrat ad effectum, non potest habitus eum referens, & expediens ad eundem effectum non fortiri omnia requisita, vt ad eum faciliter actu secundo, vtque ad illum, seu effectiue, seu directiue concurrat: qua enim ratione intellectus fide acquisita, aut infusa instructus credere potest, quin ad credendum fides influat; vel prudentia præditus prudenter iudicare, ac disponere media ad finem, & non per prudentiam: vnde cum nullum concursum habitus, & nullam facilitatem in actu secundo inter operandum experimur, habitum deesse merito censemus: ac non nisi immerito, si cum potentia est expedita proximè ad agendum, habitus tamen posset impediri, ne cum ea vllatenus in actu secundo concurrat, aut faciliaret. Tum sic, quodcumque potentia est proximè expedita ad concurrendum, & de facto, vt aiunt, concurrat, nequit habitus ei inhærens impediri omnino, ne cum illa ad eundem effectum in actu secundo faciliaret, & quodammodo concurrat. At eo in euentu qui dialecticam definitiuam didicit solam, potest tamen simpliciter demonstrationem cognoscere, & efficere. Aut igitur dialectica definitiua non est demonstratiua, sed habitus ab ea diuersus, quod negant aduersarij: aut ad demonstrationem cognoscendam, & efficiendam in actu secundo concurrat, & faciliaret, cuius contrarium, vel ipsi experientia, & sensui largiuntur.

22

Enimvero obiicies contra doctrinam huius argumenti: licet dialectica definitiua sit idem habitus cum demonstratiua, & quod consequens est, faciliaret in actu primo ad demonstrationem, non ob id in euentu posito ad eam in actu secundo concurreret, ac faciliaret: tum, quia habitus temperantiæ v. g. est idem respectu abstinentiæ à potu, necnon abstinentiæ à cibo: sed ad vnam, & non aliam facilitatem quandam in actu secundo confert, aut omnino, aut certè maiorem ad vnam, quam ad aliam; tamen ex parte potentiæ omnia requisita adsint ex æquo ad vtramque, vt experientia claret: tum etiam, quia vis calefactiua ignis est eadem respectu cuiuscumque passi: & tamen in vnum citius, & velocius, quam in aliud operatur propterea vnus maior est resistentia, & contrarietas, quam alterius: similiter ergo potest aliquis habitus, qui sit idem respectu diuersorum obiectorum formalium minus facilitare in actu secundo ad vnum, quam ad aliud eò, quod ex parte vnus plura sint obstacula, quam alterius ille igitur habitus poterit omnino impediri, ne vllatenus ad alterum obiectorum cognoscendum concurrat, aut faciliaret, esto nullum ex parte potentiæ desideretur requisitum: sicut enim impedimenta contraria concursus habitus minuire possunt, quidni etiam omnino tollere?

23

Quò minus tamen hæc sint probabilia, facit, eadem ratione fingi posse, eum, qui in nulla scientiæ parte facilitatem in actu secundo experitur, sed potius in cuiuscumque exercitio difficultatem, habere tamen scientiam habitualement, sed tamen omnè eius concursum tolli per impedimenta contraria: quam

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

obrem inexploratum nobis esset, quando habitus scientifico polleret intellectus, quando eo careret. Negandum ergo est obiectionis assumptum. Ad primam eius probationem dicendum est, duplicem esse facilitatem in actu secundo: aliam positiuam, quæ consistit in concursu habitus; & hanc eum, qui temperans est in omni abstinentia eandem sentiet aliam negatiuam, quæ posita est in absentia eorum, quæ à prædictæ virtutis exercitio in aliqua materia destinata retardant, cuiusmodi est v. g. vehementior complacentia boni delectabilis, à quo est abstinendum, aut viuidior eiusdem apprehensio; & hanc posteriorem facilitatem eum, qui temperans est in vna abstinentia potius, quam in alia posse experiri. Nobis autem de sola prioris facilitate in actu secundo est sermo impræsentiarum. Ad secundam probationem contrariam dicendum est, vim calefactiuam ignis posse diuersimode operari in vtroque passo sibi applicato, quoniam adsunt requisita, vt in vno, quam in alio citius, & velocius operetur. At in nostro euentu non defunt requisita, vt habitus definitionis, si simul demonstratiuus sit, ad demonstrandum in actu signato, & exercitio concurrat, & faciliaret, vt supponimus: quapropter, cum non faciliaret in actu secundo ad demonstrandum, vt experientia ipsa comprobatur, id eo præcisè est, quia neutiquam est demonstratiuus. Addiderim, obiectione posita illud duntaxat euinci, fieri posse, vt habitus aliquis ad vnum obiectum formale cognoscendum, aut amandum plus faciliaret in actu secundo, quam ad aliud, esto vtrumque ad illum ex æquo atineat. Ex quo haud inferitur, posse esse, vt ad vnus cognitionem, aut amorem faciliaret in actu secundo, & nullatenus ad alterius, quando circa vtrumque potentia operatur: quemadmodum concurrente causa secunda potest causa prima influxum suum minuire, & temperare, non tamen eum omnino suspendere, & cohibere.

24

Nonum argumentum, quo etiam duo superiora confirmantur, & illustrantur, es huiusmodi. Notitia habitualis definitionis v. g. est compossibilis cum errore habituali circa demonstrationem, cum quo tamen notitia habitualis demonstrationis est impossibilis in eodem gradu. At idem secundum idem nequit esse compossibile, & impossibile cum alio: notitia ergo habitualis definitionis, ac demonstrationis eadem non est, ac proinde logica, & similiter quauis alia facultas plures, diuersosque complectitur habitus. Maior constat, tum experientia ipsa, quæ patentissima est in tirone, qui in definitione diu se exercuit, nondum tamen ad partem demonstratiuam Dialecticæ peruenit: tum, quia notitia actualis definitionis compossibilis est cum actuali errore demonstrationis, cum quo tamen notitia actualis demonstrationis haud potest componi. Similiter ergo notitia, & error habituales vtriusque comparari debent inuicem, sicut, si scientia, & opinio actuales circa idem, aut diuersum obiectum compossibiles sint, scientia etiam, & opinio habituales eodem erunt modo compossibiles inuicem.

25

Contra tamen ita obiicies. Magis compossibiles sunt habitus, quam actus: quamuis igitur scientia actualis demonstrationis, & error actualis illius sint impossibiles, tamen scientia, & error habituales vtriusque compossibiles erunt, non minus, quam scientia habitualis definitionis, & error habitualis demonstrationis: vnde non est, cur ex hoc capiatur notitia habitualis definitionis, & notitia habitualis demonstrationis in Dialectica distinguatur, si qui-

Q9

dem

dem eodem modo compossibiles sunt cum errore circa demonstrationem, & cum eo solum quoad extensionem quandam, aut modum opponuntur: Antecedens probatur; tum, quia habitus est actus primus, sicut potentia, & eius operario actus secundus: unde sicut potentia ad actum aliquem secundum est compossibilis cum potentia ad actum oppositum, ita de habitu philosophandum est: tum etiam, quia fides actualis, & infidelitas actualis eiusdem mysterij impossibiles sunt, cum tamen componi possint, ac soleant fides habitualis, & infidelitas itidem habitualis, ut visere est in haeretico nuper conuerso, qui nondum habitum acquisitum infidelitatis per actus contrarios aboleuit. Plura alia exempla non ab similia possent afferri.

26

Cæterum hæc euasio haud est toleranda, haud vllatenus probabilis: tollit enim de medio oppositionem habituum quoad suam substantiam: quam tamen B. Thomas, Aristotelem sequens manifestam docuit. 1. 2. quæst. 53. artic. 1. corp. sic igitur, inquiens, *paret, quod per falsam rationem potest corrumpi habitus vera opinionis, aut etiam scientia: unde philosophus dicit, quod deceptio est corruptio scientia.* Ad primam rationem oppositam respondeo: omnis oppositio fundatur in distinctione, nec idem sibi met ipsi potest opponi: quum igitur potentia ad opposita v. g. ad amorem, & odium est eadem, & indistincta, sanè oppositio effectuum redundare nequit in eorum causam: at idem habitus non inclinat ad opposita, nec modo saltem potest esse simul erroris, & scientiæ, virtutis, & vitij: unde non est cur oppositio operationum non redundet in habitus, qui ad eas inclinant. Quum vero potentia ad effectus oppositos non est eadem, sed diuersa, & multiplex, & tamen compossibilis, ut cernere est ex. g. in misericordia supernaturali, & iustitia supernaturali, quarum altera puniendi, & altera condonandi est causa, principiumque, tum quidem sicut potentia non acquiritur per actus, quos producit, aut alios similes, non est, quapropter destrui possit ab actibus contrariis: at omnis habitus naturalis acquiritur per actus: proinde habitus contrarius mediis suis actibus poterit eum demoliri. Ad secundam rationem contrariam respondeo: fides supernaturalis non est habitus tribuens facillè posse, sed potentia, & virtus dans simpliciter posse: quare sicut potestas ad odium, videlicet voluntas, componitur cum habitu acquisito amoris, ita fides supernaturalis cum habitu acquisito infidelitatis poterit componi. Quod autem de extensione, & modo adducitur, refellendum est inferius.

27

Decimum argumentum, quod, & à superioribus lucem accipit, & illam etiam eis tribuit, sic se habet ad homines. Non potest eadem simplex, & indiuisibilis qualitas spontè sua indifferens esse, ut possit intendi, & remitti: sed habitus circa definitionis naturam, & habitus circa naturam demonstrationis ita comparantur, ut alter intendi, & alter remitti possit, & è conuerso, ut conspiciere est in eo, qui in cognoscenda definitione diu se exercuit, in demonstratione vero cognoscenda parum, & ferè nihil: promptior enim est, atque facilius ad vnam, quam ad alteram dignoscendam: habitus igitur definiendi in actu signato, siue perspicendi, quid sit definitio, & habitus demonstrandi in actu signato, diuersi sunt, ac proinde dialectica habitualis, eiusque more quauis alia facultas haud erit simplex, & indiuisibilis qualitas:

maior probatur, tum, quia eadem indiuisibilis qualitas oppositas demonstrationes suscipere nequit: at intensio, & remissio opponuntur, ut luce clarius: tum etiam, quia ea ratione id vno subiecto calido simul, & sicco calor quidem intendi, & remitti nequit eodem temporis articulo, cum tamen calor remitti, & siccitas intendi possint, ut in glaciæ condensatione vsu venit.

28

Confirmatur primo: habitus circa vnum obiectum materiale intensus, & circa aliud remissus esse nequit: qui enim facilem se experitur ad vnum obiectum materiale, eandem proculdubio facilitatem in actu primo sentiet in ordine ad omnia, si motuum sit vniuersale, & idem comparisonem cunctorum, tamen in actu secundo maiorem difficultatem in vno, quam in alio sentire possit, non ob minorem intentionem habitus; sed ob maiorem resistentiam obiecti, ut paulo superius perstrictum. Quum igitur habitus è contrario circa vnum obiectum formale intensus, & circa aliud remissus simul esse possit, non poterit esse indiuisibilis vtriusque intuitu. Confirmatur secundo: eadem cognitio nequit esse clara, & obscura, intensa, & remissa respectu diuersorum obiectorum, si Thomistis, quibuscum disceptamus, fides habenda est: ergo nec idem habitus intensus, & remissus, perfectus & imperfectus contemplatione diuersorum obiectorum formalium.

29

Consulto adhibui ad initium superioris argumenti particulam illam *ad homines*: ita enim arbitror illud esse validissimum, & ineluctabile. Nam Thomistæ, ut iam iam dictum est, claritatem, & obscuritatem, intentionem, & remissionem respectu diuersorum obiectorum in eodem actu non admittunt: eas ergo concedere nequeunt in eodem indiuisibili habitu, quantumlibet ad diuersa obiecta comparato: rursus quidquid sit de ea doctrina inter Thomistas familiari, certè non pauci extra eorum familiam renuunt in creatis distinctionem virtualem, siue aptitudinem in eadem re ad prædicata contradictoria: aut qualiscunque intensio, & remissio contradictionem prædicatorum importat, quandoquidem est forma noua, & carentia formæ, aut certè pristinae formæ maior radicatio, & huius negatio: quæ ergo iuxta prædictos autores in eundem realiter habitum possunt ambè conuenire?

30

Enimvero absolute non concludere præfatum argumentum cenfeo, quanquam ei non parum fidant Gregorius, & alij passim Nominales: nam supra lib. 2. huius operis tract. 4. cap. 6. constitutum est à nobis, eandem cognitionem esse posse claram, & obscuram intuitu diuersorum obiectorum, aliasque multas denominationes respectu eiusdem obiecti oppositas haud tamen opponi comparisonem diuersorum, idque, siue in intellectu nostro, siue in voluntatis eodem actu: eodem etiam tract. 4. per totum ostensum est ex professo, dari distinctionem virtualem in rebus creatis: quidni ergo absolute loquendo possit habitus logicæ, aut alterius cuiusvis facultatis idem manens esse clarus, & obscurus, intensus, & remissus gratia diuersorum obiectorum formalium? tum, quia simile quidpiam in actibus visitur: tum, quia distinctio virtualis ad denominationes adeo apposituras sufficere potest seorsim à quauis multiplicitate reali, ac numerica. Et quidem, quidquid sit de facto, possibilem saltem esse habitum indiuisibilem, & tamen simul intensum, & remissum comparisonem diuersorum, merito scilicet distinctionis virtualis multis docuimus citato lib. 2. tract. 4. toto cap. 10.

Postremo

31

Postremo argumentor, atque obiter vnam, aut alteram aduersariorum solutionem infringo. Post habitum definitionis acquisitum, acquisito ulterius habitu demonstrationis, eo ipso comparatur alia facilitas realis de nouo, vt, & aduersarij ipsi concedunt, & experientia aperte testatur: sed ea facilitas noua non est noua extensio prioris habitus, neque nouus eius modus, vt contrarij respondent: igitur est nouus habitus à priori distinctus, cum tamen vtrumque complectatur Dialectica: haud ergo hæc, haud consequenter vlla alia facultas est simplex & indiuisibilis qualitas. Minor (nec enim de maiore potest esse dubium) suadet: tum, quia habitus definitionis primo acquisitus non faciliat ad definiendum præsidio alicuius extensionis, aut modi: igitur nec ad demonstrandum pro sequentibus instantibus: antecedens probatur: quoniam sicut potentia immediate producit, ita & habitus immediate faciliat, saltim ad eos actus, per quos primo productus est: & alias quidem nulla esset necessitas habituum: consequentia probatur: nam per accidens est habitui, quod prius quis in definitione, quam in demonstratione se se exercuerit: igitur non est, cur ad vnam immediatius, quam ad aliam faciliat: Tum etiam, quia ex opposito (id est ex eo, quod) facilitas à nobis denuo comparata, ac priori in eadem facultate superueniens esset noua tantum extensio, aut modus) plura sequuntur incommoda.

32

Primo namque fieret, omnes scientias esse vnum dumtaxat habitum, & cum, qui ab vna scientia ad aliam progreditur, & nouam facilitatem consequitur, non nouum habitum, sed nouam extensionem, aut nouum modum prioris habitus adipisci. Secundo eadem ratione omnes virtutes voluntatis vnicum habitum esse, qui tamen multiplici modo, aut extensione gaudeat. Tertio ad homines, intellectum, & voluntatem non esse potentias distinctas, & cum anima intellectiua pro posteriori signo naturæ per voluntatem volitiua redditur, non nouam facultatem, ac distinctam à facultate intelligendi, sed nouam huius extensionem, aut modum recipere. Quarto nullam vllius habitus esse necessitatem, vel etiam vtilitatem: sicut enim habitus sola extensione sui ad diuersa obiecta faciliat, cur potentia ipsa munere alicuius extensionis, quæ habitus non sit, se se facilitare nequeat, ita vt sine extensione illa tantum simpliciter possit, & cum illa facile? Quinto demum, lucem v. g. diffusam per aera non esse diuersam in diuersis eius partibus: licet enim vnuam aeris partem illustret, cum possit simul aliam non illustrare, & vnam intensius, quam aliam afficiat; non in diuersam lucem, sed in nouam extensionem, nouumve modum eiusdem lucis id omne referri posset, vbi in habitibus hic philosophandi modus semel probetur.

C A P V T III.

Nostram sententiam esse Beati Thomae suadet.

33

IN re tam clara, ac manifesta à D. Thoma recedere non dubitarem, si contrarius esset. Verum non magis manifeste ratio, quam tanti Doctoris nobis impræsentiarum suffragatur authoritas: R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

quantum fateor eius mentem, & Thomistis, & aliis etiam videri satis ambiguum. Itaque quaest. 8. de verit. art. 16. sic habet; *vna tota scientia comprehendit sub se diuersas scientias particulares, quibus conclusiones diuersae cognoscuntur.* Vbi scientia non tam actuale significat, quam habituale, sicut intellectus principiorum, ars, sapientia, prudentia, absolute sumptæ, non tam actum, quam habitum indignant, vti ex Aristotele, & communi vsu loquendi claret. Et sanè cum verba illa ex B. Thoma allegata, nec scientiam actuale, nec habituale quatenus talem clare expriment, ad minimum accipienda sunt de scientia, provt abstrahit ab vtraque, ac proinde non magis de vna, quam de altera, veluti quæ animali vt sic competunt, non magis huic, quam illi conueniunt.

34

Rursus idem non tam insinuat, quam exprimit 1. 2. q. 65. art. 1. sic inquit. *Geometer modico studio acquirit scientiam alicuius conclusionis, quam nunquam considerauit.* & 1. 2. q. 52. art. 2. *scientia potest augeri secundum seipsam per additionem, sicut cum aliquis plures conclusiones Geometriae addiscit, augetur in eo habitus eiusdem scientiae secundum speciem.* Vbi in primis loquitur Angelicus Preceptor de scientia habituali, quandoquidē sermonē habet de ea quæ studio, & disciplina comparatur; quod etiam posteriora verba: *habitus eiusdem scientiae, manifeste persuadent.* Deinde loquitur de augmento, non intensiuo, sed extensiuo scientiæ habituali: scilicet quia agit de augmento, quod fit per additionem: at Thomistæ augmentum intensiuum, non per additionem, sed per maiorem radicationem fieri volunt: tum etiam, quia augmentum est quod eandem conclusionem, vt statim declarat B. Thomas art. illo 2. his verbis; *augetur nihilominus scientia in aliquo secundum participationem subiecti per intensiorem, provt scilicet expeditur, & clarius vnus homo se habet alio in eiusdem conclusionibus considerandis:* at verbis superioribus de augmento quoad diuersas conclusiones sermonem habet.

35

Tum sic. Cum scientia habitualis augetur extensiuè, & ad nouas se porrigit conclusiones, augetur iuxta B. Thomam per additionem, & secundum speciem: igitur de illius sententia augetur per productionem noui habitus, qui à priori sit distinctus, veluti si augmentum intensiuum caloris fieret per additionem, & secundum speciem, non posset non fieri productione noui caloris, qui à gradu præexistente foret distinctus, vt vel ipsis Thomistis est in confesso.

36

Deinde 1. 2. q. 54. art. 2. in corp. ita fatetur: *sic igitur secundum tria habitus specie distinguuntur: vno quidem modo secundum principia actiua talium dispositionum; alio vero modo secundum naturam, tertio veromodo secundum obiecta specie differentia: & inferius ad 2. tota autem virtus demonstrationis, quæ est syllogismus faciens scire, vt dicitur, 1. post. depēdet ex medio, & ideo diuersa media sunt sicut diuersa principia actiua secundum quæ habitus scientiarum diuersificantur.* At Dialectica, & quæuis alia scientia totalis ex diuersis specie obiectis, ac medijs diuersa concludit.

37

Demum proliuius, est B. Thomam non distinguere habitus intellectuales à speciebus intelligibilibus, vt nunc alijs eius locis prætermittis breuiter ostendo ex quaest. 20. de verit. art. 2. vbi postquam asseruit, animam Christi luminis ad videndas creaturas in verbo indignam non esse, subdit è vestigio: *quantum vero ad cognitionem aliam creaturarum habuit habitum, qui est collectio specierum coordinatarum*

Qq 2 ad

ad cognoscendum. At eo ipso, quod scientia habitualis sit collectio plurium specierum, non potest non esse diuisibilis.

38 Obiiciunt tamen Thomistæ B. Thomam 1. 2. quæst. 54. art. 4. corp. ubi sic ait: *Si igitur consideremus habitum secundum ea, ad quæ se extendit, sic inueniemus in eo quamdam multipliciter: sed, quia illa multipliciter est ordinata ad aliquid unum, ad quod principaliter respicit habitus; inde est, quod habitus est qualitas simplex, non constituta ex pluribus habitibus, etiam si ad multa se extendat? non enim habitus se extendit ad multa, nisi in ordine ad unum, à quo habet unitatem.* Et ad 3. paulo inferius sic fatetur: *ille, qui in aliqua scientia acquirit per demonstrationem scientiam, conclusionis unius, habet quidem habitum, sed imperfecte, cum vero acquirit per aliquam demonstrationem scientiam conclusionis alterius, non aggeneratur in eo alius habitus, sed habitus, qui prius inerat, fit perfectior, utpote ad plura se extendens.*

39 Respondeo, B. Thomam in priori testimonio agere de diuersitate solius obiecti materialis, & ab ea negare habitum diuersificari. Primo, quoniam agit de diuersitate, & multiplicitate, quæ sit in ordine ad unum, ex quo habet unitatem, subaudi habitus: at ea multipliciter est obiectorum materialium, quæ quidem referuntur ad unum obiectum formale, unde potissime desumitur unitas habitus. Secundo, quia loquitur de multiplicitate, quæ sit in ordine ad unam specialem rationem obiecti, ut paulo ante tradidit: sed specialis ratio obiecti est obiectum formale speciem tribuens habitui: loquitur ergo de multiplicitate obiectorum materialium, quæ ad idem formale habitudinem importent. Tertiò, quia disputat de multiplicitate, ac diuersitate, quæ sit ordinata ad aliquod unum, ad quod principaliter respicit habitus: atqui ea multipliciter est solius obiecti materialis. Denique, quoniam habitum eodem modo indiuisibilem affirmat; quo singulæ virtutes Cardinales indiuisibiles sunt, ut ex secundo argum. illius articuli, & eius responsione claret: sed virtus Cardinalis, qualiscunque sit, non est eadem indiuisibilis circa diuersa obiecta formalia, sed pro diuersitate obiectorum formalium plures habet partes subiectiuas, seu potentiales idem igitur de Dialectica, & quauis alia facultate habituali dicendum: minor probatur ex eius verbis ibidem: *ad secundum dicendum, quod partes, quæ singulis virtutibus Cardinalibus assignantur, non sunt partes integrales, ex quibus constituitur totum, sed partes subiectiuæ, seu potentiales.* Quibus verbis circa diuersa eius obiecta formalia negat solas partes integrales propriè sumptas, quarum una alteri physice vnita sit, quod etiam à nobis inferius est statuendum, non verò partes subiectiuas specie diuersas, quales sunt homo, & leo comparatione animalis in communi.

40 In posteriori testimonio censeo, B. Thomam non negare productionem noui habitus in eo, qui proficit in aliqua scientia, sed solam unionem noui habitus cum præcedente, quam aggeneratio postulat. Vel fortasse tantum vult, eundem indiuisibilem habitum alicuius principij posse mediare quodammodo deferuire diuersis specie conclusionibus, videlicet, si cum diuerso principio, seu præmissa habituali coniugatur: hoc autem nobis quid obstat?

CAPVT IV.

Diluuntur fundamenta contraria sententia.

41 ID est eius, iuxta quam certitudo, & euentia totalis cuiusvis facultatis est simplex, & indiuisibilis qualitas. Eam autem sententiam tuentur Caietanus 1. 2. quæst. 54. art. 4. Medina, & Conradus ibidem: Capreolus item in prologo sententiarum quæst. 3. quamuis cum quadam moderatione, & supposito, quod habitus distinguatur à coordinatione specierum impressarum, Sotus etiam in Log. quæst. 2. proæmiali, licet ibi contrariam opinionem non diffiteatur esse probabilem, Flandria 6. metaph. quæst. 7. art. 3. Soncinas etiam 6. metaph. quæst. 9. Ioannes à S. Thoma in log. quæst. 27. art. 2. Ferrariensis 1. contra gent. cap. 56. ac ceteri ferè Thomistæ. Insuper Henricus quodlib. 9. quæst. 4. Egidius Roman. 2. part. prolog. quæst. 2. alique plerique antiquorum ante Scoti tempora. Ex nostris Vasquez. 1. part. quæst. 1. art. 4. disp. 9. cap. 1. Valentia. 1. 2. disp. 4. quæst. 6. punct. 3. Rubius in log. quæst. 4. proæmiali.

42 Arguunt autem primo: Eadem indiuisibilis potentia ad plura obiecta formalia specie diuersa se extendit v.g. visus ad albedinem, ingredinem, &c. sensus internus ad obiecta omnia exteriorum, intellectus ad scientiarum omnium obiecta formalia, & voluntas ad cunctarum virtutum: ergo, si quid valet æquitas rationis, idem indiuisibilis habitus ad obiecta formalia specie diuersa porrigi poterit, atque adeo, quamuis dialectica habitualis, aliæ quævis facultas obiecta plura, ac specie differentia formaliter respiciat, adhuc nulla non censeretur potest indiuisibilis habitus.

43 Verum à potentia ad habitum non rectè arguitur. Illa namque dat simpliciter posse, & perfectius, ac eminentius continet actus, quam eos cohibet habitus, qui solum dat facile posse: unde potentia vniuersalior est, & plures actus specie diuersos complectitur, quam habitus: connaturalius enim est, & quod aiunt, de facto ita contingit, ut perfectior concursus sit etiam vniuersalior, & ad plura se fundat: qua ratione Angelus superior, qui in modo cognoscendi perfectior est, habet species vniuersaliores, & plura cognoscit obiecta, quam Angelus inferior: Proinde quamuis potentia ad plura obiecta formalia sese extendat, idem de habitu asserendum non est. Rursus id displicet in superiori argumento, quod similiter concludi posset, habitum esse irremissibilem, & minimè intensibilem, sicut potentia est intensio- nis, & remissionis incapax: Secundo, habitum per actus acquiri non posse, sicut per eos potentia non comparatur: Tertiò, oppositos actus non exposcere contrarios habitus, sicuti non postulant oppositas potentias, à quibus nascantur: Quarto, eundem habitum scientificum se extendere ad obiecta omnium scientiarum, sicut ad ea se porrigit idem intellectus; & eundem habitum voluntatis ad omnes eius actus, seu studiosos, seu vitiosos, quemadmodum eos eadem voluntas elicit.

44 At dices, hoc postremum non sequi: quoniam habitus est medius inter potentiam, & actum: unde, nec vni obiecto formali astringendus est, sicut actus, nec ad tot obiecta formalia extendendus, sicut po- tentia;

rentia; sed partim ad vniuersalitatem vnius, & partim ad limitationem alterius debet accedere. Contra tamen sic disputo: licet habitus sit medius inter potentiam, & actum, æque tamen intensibilis, & remissibilis est, atque actus, & æque contrarietatis, siue oppositionis, generationis, & corruptionis capax est, ac actus: quamquam igitur sit medius inter potentiam, & actum, specificari poterit, non minus, quam actus ab vno obiecto formali. Præterea, tamen si habitus ab vno solo obiecto formali speciem sumat, adhuc medius inter potentiam, & actum incedet, ita vt, nec tam vniuersalis sit, quam potentia, nec tam limitatus, atque actus. Ea non obstante hypotesi, esse minus vniuersalem potentiam, indubitatum est: esse magis vniuersalem actum, constat; siquidem actus pro varietate solius obiecti materialis distinctus, ac multiplex est, cum tamen idem indiuisibilis habitus plura obiecta materialia complectatur.

45 Arguunt secundo, & superius confirmant argumentum. Habitus est quædam potentia: hæc ergo cum sit vna, & indiuisibilis comparatione diuersorum obiectorum formalium, talis certe esse poterit habitus: proinde quævis facultas totalis, &c. Antecedens est Platonis in Dialog. 5. de Republ. vbi sic ait: *Vtrum scientiam potentiam quandam esse dicis? an in genus aliud refert? potentiam, & omnium profecto validissimam. Opinionem vero, potentiamne, an aliud quidpiam esse dicemus? potentiam certe, nam quo opinari possumus non aliud est, quam opinio.* Respondeo potentiam naturalem, & non acquisitam vilo actuum exercitio distingui quidem ab habitu, vt docent omnes Philosophi cum Aristotele in prædicam. cap. 8. de qual. Quo circa quamuis id genus potentia sit indiuisibilis, & vna intuitu plurium obiectorum formalium, haudquaquam sequitur, hoc ipsum dicendum esse de habitu. Plato autem duntaxat vult habitum scientia, & opinionis esse potentiam acquisitam, quia videlicet iis possumus scire, & opinari: proinde cum non constet, huiusmodi potentiam esse vnam simplicem qualitatem respectu plurium obiectorum specie differentium, haud est, quod talis sit habitus.

46 Arguunt tertio. Virtus est indiuisibilis habitus contemplatione diuersorum obiectorum formalium: ergo & scientia: consequentia patet, tum æquitate rationis, tum etiam, quia Aristoteles in Ethicis scientiam recenset inter virtutes, sin minus voluntatis, at certe intellectus: Antecedens suadet ex Richardo Victorino tract. exceptionum. cap. 4. in hæc verba: *Virtus est habitus animi in modum naturæ rationi consentaneus: vbi expendenda est particula instar naturæ: nam ea fieri videtur, virtutem haud secus se porrigere ad plura obiecta formalia, atque facit naturæ, cui superuenit.* Respondeo, eiusmodi particulam non significare eam virtutis extensionem, sed, quod illa, sicut & quiuvis alius habitus, æmuletur quodammodo naturæ stabilitatem: Quamobrem postea sic ait Victorinus loco nuper citato; *est autem habitus qualitas veniens per applicationem subiecti difficile mobilis.*

47 Arguunt quarto. Mytheria fidei nostræ non minus differunt, quam obiecta dialecticæ verbi gratia: siquidem vti ad hanc spectant omnia entia quantumcunque differentia, quatenus artificiose cognoscibilia, siue scibilia sunt, ita ad fidem diuinam attinent omnia entia quantumcunque diuersa, prout supernaturaliter credibilia à nobis, & à Deo reuelabilia sunt. Atqui omnia mytheria fidei ad

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

eundem indiuisibilem habitum supernaturalem fidei spectant: igitur, & obiecta omnia dialecticæ ad eundem indiuisibilem habitum naturalem pertinebunt. Quæ autem dialecticæ, eadem est in præsentia cuiusvis alterius scientiæ totalis ratio, vt multoties animaduersum.

48 Missis aliorum solutionibus, si res penitus consideretur, par est ratio habituum naturalium, & supernaturalium, quoad vtrorumque vnitatem, & multipliciter. Nam habitus fidei diuinæ tantum respicit obiecta materialia specie diuersa, non vero formalia, haud secus, ac habitus naturalis: siquidem mytheria credita specie diuersa tantum sunt obiecta materialia fidei diuinæ; & prima veritas reuelans est eadem comparatione omnium actuum fidei, quos formaliter mouet, & specificat: quanquam enim reuelatio sit diuersa speciei pro diuersitate eorum, quæ reuelantur; ea tamen diuersitas per accidens se habet respectu actus fidelis: & hunc reuelatio prout præcisa ab iis differentiis mouet. Rursus secundo respondeo, quamuis habitus supernaturalis ad obiecta formalia specie diuersa se extenderet, quod recentiores nonnulli existimant censentes, actum fidei quandoque habere pro motiuo veracitatem Dei in dicendo, quandoque eius fidelitatem in promittendo, modò eius omnipotentiam, modò sapientiam, quæ sunt attributa diuersa, adhuc latum foret inter habitus naturales, & supernaturales discrimen. Etenim habitus supernaturales non dant tantum facile posse, sicut naturales, sed simpliciter posse ad instar potentia, cui infunduntur: quamobrem ad obiecta formalia specie diuersa eorum aliquis extendi poterit sicut potentia, quamuis nullus habitus naturalis non sit vni, & eidem obiecto formali illigatus.

49 Arguunt quinto. Dialecticæ verbi gratia est vna scientia: ergo vnus habitus: ergo vna qualitas. De antecedenti haud potest esse ambiguitas vlla. Duæ vero consequentiæ sunt satis legitimæ, cum sint ab inferiori ad superius affirmatiuè in hunc modum; est vnus homo: ergo vnum animal: ergo vnum viuens. Respondeo si sermo sit de Dialecticæ partiali, quæ verè Dialecticæ dicitur, sicut quælibet aquæ pars absolute nuncupatur aqua, certe quemadmodum cum distinctione reali, & diuersitate specifica vnus animalis ab alio coheret vnitas generica animalis in communi; ita cum distinctione reali, & diuersitate specifica habituum Dialecticæ, videlicet partis Analiticæ, Topicæ, Sophisticæ, definitiuæ, diuiniuæ, &c. coherere poterit vnitas generica logicæ in communi, prout ab eis abstrahitur: qua ratione prudentia, cum sit vna virtus, plures tamen partes subiectiuas specie diuersas cohibet, vt rectè explicat B. Thomas 2. 2. quæst. 49. & seq. Vnde ad formam argumenti aio: logica sicut est vna scientia, ita & vnus habitus, ac vna qualitas vnitatis generica, quæ plures habitus non excludit, sed potius postulat; non verò vnitatis individuali, aut specifica, de quibus controuersia.

50 Sin autem de Dialecticæ totali sermo sit; vti cum vnitatis specifica hominis verbi gratia & individuali, ac numerica Petri non repugnat, quod materia, & forma specie, ac numero diuersis constent, ita cum vnitatis specifica, & numerali Dialecticæ habitualis adæquatæ, quæ sola ferè semper Dialecticæ absolute sumptæ vocabulum vendicat, haudquaquam est impossibile, aut repugnans, quod habitibus distinctis, ac

Qq 3 diuersis,

diuersis, siue dissimilibus cohaereat: siquidem unitas numerica, & indiuidualis haud excludit partes actuales vllas, sed tantum partes subiectiuas ac potentiales, nec has etiam, nisi sint specie diuersae eliminat unitas specifica specie specialissima. Atqui contemplatione Dialecticae totalis, eius habitus sunt partes tantum actuales, non vero potentiales, numero, aut specie diuersae, cum de his illa nequeat praedicari: eorum ergo multiplicitas, quanta quanta sit, illius unitati, siue specificae, siue etiam indiuiduali nullum importare poterit prauiudicium.

51 Arguunt denique sexto: Omnia obiecta metaphysica cadunt sub eadem abstractionem à materia indiuidua, sensibili, & intelligibili; & omnia obiecta Mathematica sub eadem abstractionem à materia sensibili, & indiuidua, non tamen intelligibili; ac tandem omnia obiecta Physica sub eadem abstractionem à materia indiuidua, non vero intelligibili, aut sensibili. Quare igitur harum scientiarum est vnus simplex habitus in ordine ad omnia obiecta, quae respicit: ac proinde idem de quacunque alia facultate dicendum.

52 Respondeo: nec eadem abstractio à materia eundem indiuisibilem habitum, nec diuersa abstractio diuersum, ac multiplicem specificat habitum, vt obiecto contendit. Primò, quia unitas, & diuersitas habituum sumitur ab unitate, & diuersitate obiectorum formalium vt cap. i. fusè explicatum; sed Metaphysica, & quæuis alia facultas sub eadem abstractione à materia diuersa principia, & obiecta formalia respicit. Secundò, quoniam actus intellectus, quos habet prae obiecto formali Dialectica, & voluntatis actus, qui scientiae morali formaliter obiectantur, sub eadem cadunt abstractionem à materia sensibili, intelligibili, & indiuidua: & tamen ad diuersos habitus, & quod plus est, ad diuersas attinent scientias. Tertio, quia Deus, & Angelus diuersam sortiuntur abstractionem, cum alter ab omni compositione abstrahat, alter verò ex subsistentia, & natura componatur, atque adeo alter altero simplicior, & immaterialior sit vt vel etiam faterentur Thomistae, qui Deo gradum quandam immaterialitatis assignant ad quem euehi possit nulla res creata: sed Deus, & Angelus iuxta illos, ea diuersa abstractione non obstante, ad eundem indiuisibilem habitum metaphysicam spectant. Quarto denique, quia,

53 Triplex illa abstractio triplicis scientiae specificatiua, si suis examinetur momentis, minimè subsistit. Nam Physica non abstrahit à materia indiuidua, cum de hoc numero sole, de his singularibus caelis, de horum numero astrorum, ac siderum cursu, situ, & positura plura demonstret. Mathematica item aliqua ex parte abstrahit à materia, non solum sensibili, & indiuidua, verum etiam intelligibili, cum numeros substantiarum separatarum non minus, quam rerum materialium tractet. Metaphysica quoque non abstrahit vnde quaque à materia sensibili, & intelligibili: siquidem immaterialitatem Dei, & Angelorum considerat, quae consideratio est cum materialitatis consideratione coniuncta.

CAPVT V.

Alia aduersus nostram sententiam solvuntur argumenta.

54 Hactenus pro Thomistica sententia fermè Thomisticis, & communibus argumentis actum. Alia adiicio, si cui fortè maiorem difficultatem ingerant. Primum sit. Non debet esse tanta diuersitas inter habitus, actusque, quanta est inter eorum obiecta formalia: quamuis igitur haec distinguantur, & etiam specie differant, non propterea actus, & habitus, aut distinguuntur, aut specificè differre debent, ac proinde licet obiecta formalia Dialectica (par autem est ratio cuiusvis alterius facultatis) numero, & specie differant verbi gratia definitio, & demonstratio, tamen actus, & habitus hinc demonstrandi, & illinc definiendi, nec numero nec specie diffidebunt, vt vt logica ambos complectatur. Antecedens probatur. Inter virtutes Theologales, & morales non est tanta diuersitas, quanta est inter eorum obiecta formalia Deum videlicet, & creaturam, cum inter Deum, & creaturam sit infinita distantia, & inter has, & illas virtutes solum finita; & cum illa vniuocè, & genericè conueniant, Deo verò, & creaturae nulla ratio generica, aut etiam vniuoca vtrique communis sit, vt fert communior opinio. Confirmatur, & declaratur. Non crescit perfectio actus ex perfectione obiecti proportionem Arithmetica, aliàs visio Dei futura esset infinita perfectionis, ac tantundem excederet visionem obiecti creati, quantum Deus ipsum obiectum creatum exuperat: similiter ergo non crescit diuersitas actuum, & habituum ex diuersitate obiectorum, ita vt aequè diuersi sint actus, aut habitus inter se, ac mutuo sunt diuersi in quae feruntur obiecta formalia.

55 Respondeo: haud debet esse in omni euentu tanta diuersitas inter actus, habitusque, quanta est inter eorum obiecta formalia, quando possibilis est minor diuersitas, quam, & non maiorem actus, & habitus inter se postulent. Cum ergo inter virtutes morales, & Theologales possibilis sit minor diuersitas, quam ea, quae visitur inter Deum, & creaturam, eò, quod haec summa sit, ea minor diuersitas inter illas virtutes, necessario concedenda est, propterea quod summa diuersitatis, ac distantiae sint incapaces, videlicet, quia ex aequo creaturae. At quando non est possibilis minor diuersitas, quam illa, quae reperitur inter obiecta formalia, propterea quod ea specifica specie atoma, & specialissima, tunc debet esse tanta diuersitas inter actus, ac habitus aliquos, quanta est inter obiecta formalia: siquidem haec vbi specie differant, aliquam diuersitatem in habitus refundunt, supposita habituum distinctione, quae est omnis diuersitatis, seu dissimilitudinis radix: sed non possunt refundere minorem diuersitatem ea, qua ipsamet differunt, eo, quod haec sit specifica specie atoma, vt supponitur; vnde aequalem refundere debent. Quamobrem mirandum non est, si pro diuersitate specifica, & atoma obiectorum formalium habitus Dialectica, & alterius cuiusque facultatis non numero tantum, sed etiam specie differant.

56 Argumentor secundo. Eadem indiuisibilis facilitas actualis, siue quae in actu, non in habitu consistit, ad actus ex obiecto formali specie diuersos faciliat proxi

proximè, & immediatè. Eadem igitur indiuisibilis facilitas habitualis, seu quæ in habitu, non in actu posita est ad actum ex obiecto formali specie diuersos, nõ solum mediatè, & remotè, quod omnes concedunt, verum etiam immediatè, & proximè poterit facilitare, ac proinde quævis scientiæ totalis circa omnia sua obiecta, quamlibet specie diuersa, & in ordine ad omnes suos actus idem indiuisibilis habitus erit. Cõsequentiā est perspicua: quia si facilitas actualis ad plura obiecta diuersa se extendit, indiuisibilis, & vna in se manens, non est, cur idem de facilitate habituali negari queat, quæ quo propius ad potentiam accedit, eo vniuersalior, aut certè non minus vniuersalis est censenda. Probatum antecedens, tum quia eadem complacentia gloriæ Dei ad actus diuersarum virtutum moralium immediatè faciliat, & inclinatur, cum tamen actus ij diuersa obiecta formalia intrinseca respiciant: tum etiam, quia eadem præmissa faciliat, & inclinatur intellectum ad conclusiones specie diuersas, pro diuersitate specifica alterius præmissæ, cum qua coniungi potest: quæ ratione ex eodem principio naturali, & philosophico; modo conclusio supernaturalis, & Theologica, modo naturalis, & philosophica deduci potest; at eæ conclusiones differunt, cum ex obiecto formali intrinseco, vt constat tum ex obiecto formali extrinseco, quia obiectum formale extrinsecum diuersarum conclusionum vni alicui principio niten-
tium non est præcisè obiectum vnius præmissæ, in qua conueniunt, sed simul obiectum alterius præmissæ, in qua differunt; diuersitas autem specifica vnius præmissæ obiectiua sufficit ad diuersitatem absolutam obiecti formalis extrinseci, quod extrinsece præmissa obiectiua coalescit, sicut homo, & leo ob diuersitatem speciem vnius solius partis absolute specie differunt.

57 Confirmatur, & explicatur argumentum. Aut habitus concurrat effectiue ad actum, ita vt concursus potentia minuat, ac temperet; & sic à fortiori, vt aiunt, actus intellectus, & voluntatis ad alios vltiores præcisè tribuunt facile posse, & non simpliciter posse, quandoquidem ad eos non efficienter, sed dirigendo tantum influunt: Aut habitus directiue dumtaxat ad actum concurrat; & sic par est ratio facilitatis actualis, & habitualis, nec est cur vna potius, quam alia tribuat simpliciter posse: vnde altera extenditur ad obiecta formalia diuersa, poterit etiam alteri eadem extensio concedi. Confirmatur secundo. Non magis pender essentialiter conclusio à præmissis, aut electio ab intentione inefficaci, de qua potissime sermo, quam actus ab habitu: hoc ergo ex capite nulla est vtrinq; disparitatis ratio. Et quamuis penderet essentialiter conclusio à præmissis, & electio ab intentione inefficaci, adhuc, nec præmissæ, nec simplex complacentia finis tribuerent simpliciter posse, sed tantum facile: tum quia habitus faciliat ad actionem, qua concurrat, imo non nisi media actione cõfert facilitatem ad actum: ea autem actio pender essentialiter ab habitu, si ab eo effectiue procedat, & in plurium sententia, tam & si solum directiue: tum etiam, quia, vt præmissa ad conclusionem, & complacentia finis ad electionem tribuant præcisè facile posse, & non simpliciter posse, satis est, quod ad præsens attinet, vt sine iis intellectus, & voluntas cognitionem, & volitionem, huic conclusioni, & electioni, ex obiecto omnino similem elicere queant, vt exemplo claret actionis, per quam concurrat habitus tum demum, quia actus, ad quem facilitas habitus, potest suprà hunc reflexe,

etere, eiusque ad sui existentiam concursus, sicut simili virtutis haud raro reflexione supra potentiam, à qua proficiscitur: at is actus pender essentialiter ab habitu, qui ad eum faciliat.

58 Respondeo, plus, quam oportet, eo probari argumento: siquidem multipliciter virtutum apud omnes adeo constantem protinus tollit, & nullam regulam reliquam facit, qua diuersitas habituū metienda sit: qualis enim esse potest, vbi plura obiecta formalia plures habitus sibi non vendicent? Respondeo secundo, id tantum obiecto à nobis discursu concludi posse, eundem indiuisibilem habitum respicere obiecta formalia specie diuersa ad instar facilitatis actualis: at non quod de facto, vt aiunt, id contingat: nam experientia demonstrat, habitum circa vnum obiectum formale esse distinctum ab habitu circa aliud, ab illoque separari, vt late expensum est capite 2. in probatione nostræ opinionis, cum tamen idem non sit nobis expertum, sed potius oppositum de facilitate actuali: quod ergo argumentum ab hac ad illum.

59 Respondeo tertio: Complacentia gloriæ Dei ad virtutem charitatis pertinens respicit immediatè, & proprie solum diuinā bonitatem, obiecta vero aliarum virtutum, ad quas actu mouet, & faciliat, non, nisi mediatè, & improprie: proinde magis est, vt ab illius obiecti formalis vnitatem possit, ac debeat esse vna, quā ab horū multiplicitate multiplex. Cæterum habitus non vendicat sibi aliquod obiectum formale, quod proprie, & immediatè attingat, non certe aliud, quam, quod mediis actibus suis respicit: quapropter horum obiecta, si sint diuersa, diuersitatem, ac multipliciter refundent in habitum, quippe cui, vt dictum est, haud obicitur aliud, Cuius vnitatem se rueri possit à compositionis, ac numeri imperfectione.

60 Vel paulo aliter: Obiecta virtutum diuersarum sunt respectu charitatis materialia tantum: quod ergo ad eam pertinens complacentia possit ad illa omnia mouere, solum arguit posse eundem indiuisibilem habitum mouere ad plura obiecta materialia, non vero formalia. Quod si instes, etiam obiecta formalia diuersa diuersorum actuum intellectus nostri esse materialia intuitu habitus, quippe cui tantum mediatè, & improprie obiciuntur, solisque actibus formaliter, & immediatè; in promptu est solutio, obiecta formalia actuum nostrorum talia esse respectu habitus mediatè saltem: quocirca cum multiplicem reddent; videlicet quia alio modo habitus non potest fortiri obiectum formale, aut ab eo multipliciter accipere: At complacentia actualiter facilitans vendicare potest, & solet obiectum formale proxime, & immediatè: quare obrem ab huius solius vnitatem, vel multipliciter multiplex erit, aut vna, nec fieri poterit, vt obiecta formalia diuersa actuum ex eo prognatorum eum multiplicem efficiant. Quod autem disputatum est hæcenus de complacentia ad charitatem spectante, accommodari potest, ac debet præmissæ conclusionibus interuenienti diuersis.

61 Respondeo quarto. Id, quod mouet, & faciliat facilitate actuali haud est (iuxta non paucos) actus, sed obiectum actus, esto hic sit ratio, & conditio mouendi: id autem, quod mouet, & faciliat facilitate habituali est solus habitus: vnde licet actus aliquis faciliat, & moueat ad plura obiecta formalia specie diuersa, idem de habitu dicendum non est: Ea siquidem vniuersalitas, & extensio actus, non tam actus, fortasse, quam obiecti propria est: obiectum autem habitu vniuersalius est: nam

Q9 4 sicut

sicut potentia ad plura obiecta specie diuersa se extendit, ita obiectum correlatiuum potentiae plures actus specie diuersos terminare, & mouere potest, vt cernere est quoad motionem in exemplis in argumento adductis, & quoad terminationem in candore, verbi gratia, qui per visum videri, per sensum internum interius sentiri, per intellectum intelligi, & per voluntatem amari potest. Quod autem habitus potentiae vicinior accedat, non ob id eius vniuersalitatem, & extensionem ad plura obiecta formalia magis, quam actus amulari debet, sicut plures eius proprietates non magis, quam actus amulatur, vt ex dictis cap. praeterito ad eius initium dilucet.

62 Argumentor tertio. Logica habitualis demonstratiua, & Logica habitualis definitiua v. g. non respiciunt obiecta formalia diuersa: habitus igitur distincti non sunt: nulli ergo tales sunt in Dialectica, nulli in facultatibus ceteris. Antecedens probatur: actus vtriusque Dialecticae habitualis non intuentur obiecta formalia diuersa: sed obiectum habituum est obiectum actuum, qui ab habitibus proficiscuntur: ergo maior suadetur: actus cognoscens quid sit demonstratio in communi, qui ad priorem Dialecticam habitualement spectat, attingit re ipsa ex parte obiecti omnes demonstrationes in particulari, sed nulla est definitio, quae nequeat esse pars alicuius specialis demonstrationis, quae ex illa aliquid de definito inferat: actus igitur ille attingit omnes definitiones, siquidem cognito toto, eius ignorari nequeunt partes. Rursus actus cognoscens quid sit definitio in communi, qui ad posteriorem Dialecticam habitualement pertinet, attingit re ipsa, & ex parte obiecti omnes definitiones in particulari, at nulla est demonstratio, quae non possit esse pars alicuius definitionis, quae illam per genus, & differentiam explicet: actus igitur ille attingit omnes demonstrationes. Quamobrem vterque actus idem, & non diuersum obiectum formale, videlicet omnes definitiones, & demonstrationes omnes respicit.

63 Respondeo. In primis, si praecisiones obiectivae sint possibiles, vt est longè probabilius, actus ij ex obiecto formali diffidere poterunt, eò, quod vnus attingat aliquid ex parte obiecti, à quo omnino praescindit alter: Si quidem prior actus attingit ex parte obiecti demonstrationem in communi, & partes eius constitutivas etiam in communi, non verò demonstrationes in particulari, aut partes earum constitutivas in particulari, inter quas numeratur definitio: posterior vero actus attingit definitionem in communi, non verò definitiones particulares, aut partes earum in singulari, inter quas demonstratio numeratur.

64 Deinde, esto, possibiles non sint praecisiones obiectivae, adhuc argumentum vi caret. Pro cuius luce supponendum est ex dictis supra libro 7. huius operis tractatu 6. decimo obiectum formale complecti praeter rem cognitam, cognitionem etiam, eiusque modum tendendi. Supponendum item est, vnum obiectum formale esse posse diuersum ab alio pro diuersitate alterutrius partis, vt in aliis complexis vsuuenit. Quocirca, si solae res cognitae differant, esto eodem modo cognoscantur ambae, id sufficere ad diuersitatem obiecti formalis, qua ratione cum aliquid à posteriori de Deo, & aliud de Angelo demonstratur, ea demonstrationes fortiuntur obiecta formalia specie diuersa. sin-

autem è contrario solus modus tendendi actuum sit diuersus, esto res cognitae non differant, id etiam satis, superque erit ad differentiam obiectorum formalium, qua ratione cognitio, & volitio, quae in eandem rem tendunt, nihilominus diuersa fortiuntur obiecta formalia, videlicet altera verum, altera bonum. Quae cum ita sint; actus cognoscens, quid sit definitio, & actus cognoscens, quid sit demonstratio, ex parte rei cognitae non differunt, secus vero ex parte cognitionis, & modi tendendi, quod sufficiens est ad id, vt sit multiplex, ac diuersum obiectum formale vtrique praestitutum.

Argumentor quarto. Anima Petri, verbi gratia, & anima Pauli sunt eiusdem speciei: & tamen respiciunt essentialiter connotata specie diuersa, nimirum modo, vnionum, vbicationum, durationum, &c. vt ostensum est in Physica libro 2. tractatu 9. capite 2. & 3. necnon in Dialectica lib. 9. tractatu 3. capite 2. & tractatu quarto capite 2. Quamquam ergo habitus cuiusvis scientiae totalis respiciant obiecta formalia specie diuersa, non ob id erunt diuersae speciei, ac proinde nulla facultas non erit vnus specie habitus.

66 Respondeo: connotata specie diuersa, quorum tota tandem diuersitas deuoluitur ad ipsas rerum indiuiduationes, ita vt ideo dicantur specie differre, quoniam alia hanc indiuiduam animam verbi gratia, alia vero aliam numero respiciunt, esse proprietates indiuiduales, quae non diuersitatem specificam, sed numericam arguunt iuxta illud Porphyrii, quem sequuntur reliqui omnes: indiuiduum est cuius collectio proprietatum in nullo reperitur alio: Huiusmodi autem connotata sunt modi specie logica diuersi in animabus Petri, & Pauli: ideo enim ita differunt, quia cum vniones, verbi gratia, animae Petri eam solam essentialiter respiciant, potest ab eis abstrahi ratio aliqua vniuersalis, & quidditatiua non communis vnionibus animae Paulinae, & è conuerso. Contra vero obiecta formalia specie diuersa, quae respiciuntur, & connotantur ab actibus & habitibus eiusdem scientiae totalis, haud quaquam differunt specificè per ordinem essentialem ad indiuidua vlla, sed potius veluti homo, & equus, verbi gratia, Quid mirum ergo, si maiorem in actus, & habitus refundant diuersitatem, quam reiciunt in animas Petri, & Pauli proprietates modales, quas anima connotant? Confirmatur: quia si connotata specie diuersa priori modo diuersitatem arguerent specificam, nullum indiuiduum non esset specie diuersum ab alio: At hoc incommodi non sequitur, esto actus, & habitus specie differant, per ordinem ad varia obiecta, quae suapte ingenio connotant, vt intuenti clarebit.

67 Quinto, ac postremo argumentor. Idem actus potest respicere, quin etiam modo multoties respicit obiecta formalia specie diuersa, vt cum eodem indiuisibili iudicio assero, *albedo non est nigredo*; vel vna apprehensione, *albedo, & nigredo*; aut alia, *albedo, vel nigredo*. Similiter ergo idem indiuisibilis habitus intueri poterit multa obiecta formalia specie diuersa, ac proinde omnia, quae sub eandem scientiam totalem cadunt.

68 Respondeo, vnum indiuisibilem actum intellectus nostri respicere diuersa obiecta formalia; at duntaxat inadaequata, nullo vero modo totalia. Quod si habitus alicuius scientiae totalis respiceret omnia eius obiecta formalia, idque in se indiuisibilis existens, sanè plura intueretur obiecta formalia

malia aliquo modo totalia, hoc est comparatione actuum. Respondeo secundo, indiuisibilem habitum respicere etiam nunc diuersa obiecta formalia eo modo, quo illa respectat vnus actus, id est, non disparate, ac præcisue, sed cum aliqua eorum connexionem, & comparationem factam per particulam est, aut, & aut, vel. Cæterum vti de facto, vt aiunt, haud forte reperitur vnquam actus disparate pluribus obiectis formalibus terminatus, vt albedo, nigredo, vel albedo videtur, nigredo videtur, ita habitus eius genij modo non dari est probabilius, Quod tamen possibile sit actus, & habitus illius conditionis, fateor cum P. Ripalda lib. 3. de ente supernat. disputatione 47. sectione 2. numero 16.

69 Respondeo tertio habitum circa diuersa obiecta formalia nunc semper esse multiplicem, non duntaxat ob relationem, quam ad illa sortitur; (nam possibile est habitus indiuisibilis, & tamen ad diuersa obiecta formalia relatus, vt sæpe sæpius dictum) sed quia modo semper contingit, habitum verfantem circa vnum obiectum formale separari posse ab habitu de alio, vt supra demonstratum. Ast actus plura formaliter attingens, siue id faciat disparate modo, siue non, sine aliqua comparatione, haud est separabilis à se ipso, haud etiam vna realitas eius est separabilis ab alia. Quid est ergo, quapropter debeat esse multiplex.

C A P V T V I.

An saltem habitus cuiusvis facultatis sint inter se physice uniti.

70 N egant Doctores omnes supra capite 1. ad eius initium laudati: ac negandum præter alios optime probat P. Bartholomæus Amicus tractatione 27. log. disputatione 4. questione 1. dubitat. 3. & 4. Eandem sententiam etiam ipse sequor, & suadeo sequentibus argumentis. Namque in primis, quod plures habitus in vnam scientiam coalescant, iis per accidens est, & à solo philosophorum arbitrio proficiscitur: nulla igitur inter eos vnio physica intercedit: sicut quod multi homines libere in vnam Rempublicam coaluerint, & cuiusdam Principis regimini sint subditi, nullam inter eos vnionem physicam efficiunt. Secundo: eiusmodi vnio habituum est omnino superflua, cum sine illa quouis eorum facilitare possit, vt cernere est in primo habitu acquisito, qui faciliat ante, quam reliqui superueniant. Tertio: actus dialecticæ, verbi gratia, minime vniuntur, vt omnibus est in confesso: ergo nec habitus. Quarto: habitus metaphysici ex. c. de Deo, & Angelo plus differunt, quam habitus scientifici de Angelo, & Cælo: Ast hi posteriores, non vniuntur physice, alias habitus diuersarum scientiarum talem inter se sortirentur vnionem: ergo nec illi priores, qui ad Metaphysicam spectant.

71 Quinto: si huic philosophandi modo locus esset, similiter, adstrui posset, habitus omnes speculatiuos ex vna parte, & ex alia practicos omnes, de quibuscumque sint ambo obiectis inter se physice uniti, sicut habitus dialecticæ, verbi gratia ob conuenientiam inter se, & disconuenientiam respectu habituum aliarum facultatum vniuntur inter se inuicem. Idem etiam fingi posset de habitibus virtutum, & vitiorum: Idem de habitibus

omnibus intellectus hinc, & illinc voluntatis. Denique inter intellectum, & voluntatem (quas potentias supponamus inuicem distingui) prout sunt sibi mutuo similes, & à potentiis materialibus differentes; inter intellectum item, & sensum, quatenus à potentiis cognoscitiuis externis dissident; inter potentias etiam cognoscitiuas, seu materiales, seu spirituales, seu externas, seu internas ex vna parte, & inter potentias appetitiuas ex alia nouas quasdam, & in auditas vniones nobis integrum esset comminisci.

72 Pro contraria sententia, quam tuerentur aliqui recentiores in manuscriptis, & quæ tribui solet Patri Salas, aliisque authoribus magni nominis obici potest primo. Partes intensiue cuiusvis scientiæ vniuntur physice inter se in ordine ad vnum subiectum habsonis, in quo recipiuntur: ergo & partes extensiue cuiuscunque scientiæ habitualis (de qua vtrique sermo) vniuntur physice inter se in ordine ad vnum subiectum attributionis, ad quod omnes referuntur. Respondeo, in primis satis probabile esse, partes intensiue facultatis habitualis inter se immediate non vniri, nec, nisi mediata, & in subiecto communi physice colligari, vt ostensum in Phys. lib. 6. tract. 2. vtque necesse est affirmari ij, qui gradus intensiōis specie differre, & res omnes specie diuersas vnionis continuatiue incapaces existimant. Deinde argumentum, non minus in Dialectica actuali, quam habituali procedit: in illa autem nullius est momenti, nec quisquam erit, qui actus Dialecticæ inuicem vniri censet, vt superius animaduersum: ergo nec in ista posteriori, videlicet habituali: Denique ordo partium intensiōis, si quod probabile est, sint etherogeneæ, est intrinsecus, & essentialis, quippe ratione cuius alia alias suapte natura præsupponunt: quare non mirum: si vniuntur vnione physica continuatiua, quemadmodum materia, & forma vnione physica essentiali vinciuntur inuicem. At ordo habituum scientificorum est extrinsecus, & arbitrius, atque à solo philosophorum litio proficiscens.

73 Obiicies pro eadem sententia secundo: quævis scientia totalis dici solet vna: at id vix intelligi potest sine eo, quod eius partes, scilicet habitus physice vniuntur inuicem. Respondeo satis, superque esse, vt scientia habitualis pluribus coalescens partibus quodammodo dicatur vna vnitate cuiusdam ordinis, nec esse necessariam vnionem physicam, & strictam. Specta, si libet, siue licet infinitam illam circum nos properantis cæli ambitionem, auratum Solis obrem, candentem Lunæ globum, minorum syderum multitudinem, ac varietatem spirabilis itidem elementi syncera flamina; flammantis crispata volumina; liquentis alternos cursus, atque reclusus; immoti denique soli super inane requiem: hæc autem omnia, quamuis non vnita physice, quid, nisi vna rerum summa, quid, nisi vna mundi facies: Atque, vt à naturalibus ad artificialia orationem conuertam, ac Tertulliani in lib. de anima cap. 15. verbis utar; spectat portentosissimam Archimede dis munificentiam, organum Hydraulicum dico, tot membra, tot partes, tot compagines, tot itinera vocum, tot compendia sonorum, tot commercia modorum, tot acies tibiarum, & vna moles erunt omnia; licet non omnia physice copulentur inuicem, sed multa sint duntaxat continuata. Par ratio est aliorum entium artificialium vt naui, domus, exercitus, &c.

74 Obiicies tertio; nisi partes scientiæ totalis v. g. Dialecticæ se vniuntur physice, futurum, vt mul-

tum

tum ei depereat speciei, ac pulchritudine, vtque sit.

Quid lib. 1.
Metaph.

Rudis indigestaque moles

*Nec quicquam nisi pondus iners congestaque eodem
Non bene iunctarum discordia semina rerum.*

Nihil tamen est in hac obiectione momenti. Quid exercitu per cuneos, phalangas, & agmina explicato pulchrius? at partes non vnitās, sed dispositas habet. Quid mundo sublunari speciosius? at elementis, non continuis, sed contiguis coalescit. Quid mundo caelesti admirabilius? at solutis orbibus, & in diuersa raptatis continuū circumuoluitur. Maneat ergo, Dialecticæ habituali nihil decoris, nihil speciei detrahi, etiam si nullo physico ligamine cohaerescat, & haud metum esse, ne, quibus constat habitus, si non vniantur proprie, & stricte, eo ipso confusum, & inordinatum chaos efficiant.

75

Obiicies quartō, si, quin vniantur inuicem plures habitus, vnam tamen scientiam constituunt, certe omnes scientiæ, etiam totales, vt Metaphysica, Physica, Logica, Mathematica, &c. quamuis non sint physice vnitæ, vnam tamen scientiam efficiunt. Consequens autem est absurdum: ergo & illud, vnde sequitur. Respondeo in primis, argumentum ad rem, quæ de agitur, esse inutile: eandem enim habet vim siue habitus vnius scientiæ v.g. Dialecticæ vniantur inuicem, siue secus. Fac enim eos vniri physice. Cur obsecro omnes scientiæ totales similem non fortiantur vnionem? Cur v.g. Dialectica non copuletur Physicæ, hæc si post illam primo acquiratur, & Physica Metaphysicæ, & hæc Mathematicæ, &c.

76

Deinde respondeo; si sermo sit de vnitatē cuiusdam connexionis, ex omnibus scientiis vnam conflari: omnes enim connectuntur inter se, ac mutuū conferunt haud parum: idemque dicendum esse, si sermo sit de vnitatē abstractionis intellectualis: ex omnibus enim abstrahi potest vna ratio generica scientiæ: quo luculenter respexit Plato in Ciuili hisce verbis: *ita cunctas scientias diuide: agentem vnam, alteram cognoscentem solummodo nomina: sint ergo scientia species dua, cum vna sit scientia tota.* Atque priori, vel certe posteriori modo horum duorum omnes virtutes sunt vna virtus, iuxta illud vulgare dictum: iustitia in semet virtutes continet omnes: & cum sint tot prudentiæ, quot virtutes voluntatis, quas recta ratio regit, quibusque veluti faciem præfert, omnes tamen dici solent vna prudentia. Quod, si loquamur de vnitatē arbitraria, ea nimirum, quam habet scientia totalis ex eo, quod primi Sapientes voluerint, vt in ordine ad tale obiectum attributionis de his, & non aliis agatur attributis, vtque hi habitus, & non plures censeantur vna facultas, ita quidem haud est vna scientia ex omnibus conflata: haud enim placitum fuit antiquis inuentoribus, vt esset vna tantum scientia, sed potius multiplex, videlicet Logica, Philosophia, Metaphysica, Geometria, Medicina, &c. Et quidem iure merito: ita namque distingui scientias multum iuuat, vt non confuse, sed ordinatim, ac dilucide addiscantur, earumque Encyclopædia breuius, ac facilius possit absolui.

77

Non me latet, Alexandrum, Ægidium Iulium Sirenium, Bernardinum Mirandulanum, Sebastianum Foxium, apud Auerfam q. 1. Philosoph. sect. 6. & Amicum vbi supra art. 1. absolute asserere, omnes scientias esse vnam scientiam: contra vero Aristagaram disp. 1. log. Hurtadum, & alios communi-

ter præcise id negare. Caterum controuersia est de solo nomine: atque adhibita distinctione à nobis tradita facile, si velint, conciliari possunt inuicem vtique authores.

CAPVT VII.

*An sit possibilis, saltem in alia rerum serie
supernaturali, facultas aliqua quæ sit
vnus simplex habitus.*

78

Respondeo possibilem esse id genus facultatem, siue scientiam totalem, Nam in primis, quæ est in illa implicatio, aut contradictio terminorum? Rursus secundo: Deus optimus maximus est summè facilis ad operandum per intellectum, & voluntatem: at in eo non est diuersa facilitas ad diuersa obiecta formalia, sed eadem, & indiuisibilis ob summam eius simplicitatem: facilitas ergo habitualis creata, sin minus naturaliter, ac certe in alio rerum ordine supernaturali eadem, & indiuisibilis esse poterit comparatione plurium obiectorum formalium, atque adeo omnia Dialecticæ v.g. aut alterius cuiusvis facultatis simul complecti. Maior est perspicua: tum quia facilitas in operando est perfectio sine imperfectione: Deo igitur est assignanda: tum etiam, quia id scripturæ sacræ passim affirmant: namque Ecclesiastici cap. 12. habetur: *facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem*: & paulo inferius; *quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuire unicuique secundum vias suas*: & Genes. cap. 18. *numquid Deo quidquam est difficile?* & 1. Reg. cap. 14. *quia non est domino difficile saluare, vel in multis, vel in paucis*: & Hierem. cap. 32. *non erit tibi difficile omne verbum.* Quæ idcirco congesti, quia forte non deerit (quæ sunt hominum ingenia) qui Deo facilitatem propriè sumptam deneget, sicut ei notitiam practicam propriè sumptam quidam ausi sunt inficari.

79

Confirmatur: sicut eadem indiuisibilis omnipotentia Dei ad omnes effectus possibilis, quantumcunque specie diuersos, se porrigit, ita potentia creata etiam de facto, vt aiunt, existens ad plures effectus specie differentes se se extendit, esto non ad omnes, eo, quod inter illam, & omnipotentiam infinita sit distantia: quemadmodum ergo eadem indiuisibilis facilitas increata ad omnia obiecta formalia se extendit, ita eadem indiuisibilis facilitas habitualis creata, & finita, sin minus in præsentia; at certe in alio rerum ordine supernaturali ad plura obiecta formalia specie diuersa poterit extendi, licet non ad omnia, eo, quod illa, & facilitas increata infinito quodam intervallo diffideant. Confirmatur secundo: Vti in Deo est eadem facilitas ad actus etiam oppositos, ita etiam alia rerum possibilis est facultas aliqua creata quæ eadem existens, nihilominus inclinet ad actus oppositos, videlicet virtutis, ac vitij, veros, ac falsos, & vtrorumque sit ex æquo illecebra, vt supra ostensum est capite primo huius tractatus: similiter ergo; quemadmodum in Deo est facultas vna, & indiuisibilis ad obiecta formalia specie diuersa, & compossibilia inuicem, ita in rebus creatis saltem supernaturaliter erit possibilis eiusmodi facultas.


Obiicies

80 Obiicies tamen primo. Nulla facilitas in Deo est habitualis: quamvis enim Herrera 1. part. art. 37. quæstione prima habitum Deo tribuat, at contrarium est omnium philosophorum, & Theologorum: quamvis ergo facilitas, quæ est in Deo plura complectatur objecta formalia, inde tamen quod argumentum desumi potest ad facilitatem creatam alterius ordinis, quæ quidem vere, & proprie est habitus. Respondeo, non esse cur, quoad extensionem illam, habitus aliquis alterius ordinis imitari quodammodo nequeat facilitatem Dei propriam, quantumvis non habitualement: licet enim non conveniant in ratione habitus, cæterum convenientiam habent, ac similitudinem in ratione facilitatis: aliunde vero in ea imitatione nulla videtur esse repugnantia terminorum.

81 Obiicies secundo: facilitas divina est generationis, & corruptionis, intensiois, & remissionis per actus similes incapax: & tamen facilitas omnis creata acquisita, de qua sola est in præsentis sermo, siue sit huius, siue alterius ordinis generari potest, & corrumpi, intendi, ac remitti: quamvis ergo facilitas Dei propria sit indiuisibiliter extensa ad plura objecta formalia, contrarium tamen dici poterit de quouis habitu acquisito, siue naturali, siue supernaturali.

82 Respondeo, non id nos tueri, omnem perfectionem facilitati diuinæ convenientem, illico transferri posse, ac debere ad facilitatem aliquam creatam, saltem alterius ordinis: Tantum ergo existimamus, facilitatis in Deo repertæ imitationem quandam inueniri posse in creatis, si id non repugnet ex parte creatæ facilitatis, vel, quia creata est, vel quia talis creatura est: At, nec generari, nec corrumpi posse, siue non posse incipere, & desinere repugnat omni habitui acquisito, etiam alterius ordinis, quia est qualitas creata: esse item intensiois, ac remissionis nesciam ei repugnat, quia supponitur peculiarem eius naturam, & conditionem esse, ut utramque postulet: alioqui enim, ut multæ aliæ res creatae possunt intendi, ac remitti, idem in habitum aliquem poterit convenire; ac non in eum, quo de agimus. Cæterum neutro ex capite repugnat habitum alterius ordinis, de quo disputatio extendit indiuisibiliter ad plura objecta formalia: quidni ergo quoad eiusmodi extensionem imitari queat diuinam facultatem in operando.

83 Quamobrem nullam in eo repugnantiam compertio, quod sit possibilis in alia rerum serie scientia totalis, quæ ad plura objecta formalia, imo ad omnia partialium scientiarum se se porrigat, quin pro eorum multiplicitate sit multiplex habitus, sed potius vnus, & simplex. Quin etiam est probabile eius genij scientias esse infusas Christo Domino, ac Deiparæ, quarum scilicet quævis in suo genere, & in ordine ad vnum obiectum attributionis ut realiter vna, ac simplex qualitas, vel etiam quæ omnes collectim sumptæ eam sortiantur unitatem, & simplicitatem.



TRACTATUS IV.

De subalternatione habituum intellectuum, siue scientiarum Habituum.

CAPUT I.

Qua, & quotuplex sit subalternatio.

ISSIS autem aliorum opinionibus, quæ in quibus peccent capite sequenti breuiter perstringam veram subalternationem in communi sumptam arbitror, eam esse merito cuius principia vnus facultatis deriuantur à principiis alterius, & per ea possunt velut conclusiones à priori probari ita Arist. 1. Post. capite septimo & octauo & capite 13. atque eisdem locis veteres eius interpretes: id etiam indigitari ipsum vocis etymon: siquidem vnā facultatem subalternare aliam est, eam sub se habere; subalternari contra hanc illi est subiici, & ab illa dependere: huiusmodi autem dependentia vnus scientiæ, artifice ab alia tunc vsuuenit, quando altera per coniunctionem cum altera redditur evidens à priori, siue quod iuxta est, quando vna accipit ab alia causam, cur ita sit id quod velut principium assumit: optimo ergo iure hoc pacto rationem communem subalternationis explicuimus. Hoc etiam modo recte intelligitur quod ex Arist. & eius interpretum sententia ait Scotus in prologo sub quæstio. 3. in 5. quæstione laterali: *subalternata incipit, vbi desinit subalternans.* Namque facultas subalternans desinit in suis Conclusionibus subalternata vero incipit à suis præmissis: vbi ergo illius conclusiones sint huius præmissæ, fiet optime ut altera incipiat, vbi desinit altera. Denique hac ratione bene est quod dixit Arist. facultatem subalternatam scire quod res sit, siue quia sit, subalternantem vero propter quid sit: hæc enim, ut diximus, reddit causam ob quam ita sit, quod assumitur velut principium: ab illa: illa vero talem causam per se non assequitur, sed dumtaxat eius effectum cognoscit euidenter, siue immediate siue media aliqua inductione, aliove motiuo, quod non sit à priori.

Porro autem quemadmodum facultas alia est practica, alia est speculatiua, ita subalternatio nuper explicata bifariam cōtingit, ac duplex est: vna quidem, eaque prior solas facultates, practicas necit inuicē, & accidit ratione finis utique exequibilis, quod nimirum finis, quem exequitur vna facultas, destinatur ad proximum finem alterius, siue, quod instar est, quado vna suppeditat alteri instrumenta, quibus sic operatura quo pacto frænofactoria equestris, hæc militari, & militaris politicæ subalternantur; contra vero politica militarem, & hæc equestrem, atque equestriss frænofactoriam ordine retroacto subalternant, sibi que subiiciunt. Idcirco autem has facultates practicas & alias similes proprie subalternantes & subalternatas statuimus, quoniam eis nuper tradita subalternationis finitio conuenit. Etenim ars frænofactoria, verbi gratia, solum cognoscit, quia frænum est ita cōficiendum, & quod